B. 212.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-137946120-19/fragment/page=0002

MEMORIA
VIRORUM IN SUECIA ERUDITISSIMORUM
REDIVIVA,
Seu
Semi-Decas IV.
ORATIONUM FUNEBRIUM

I. *In Memoriam* B. ERICI BENZELII, *Archi-Episcopi Upsal.*
II. - - - B. MARTINI BRUNNERI, *Profess. Theol. Upsal.*
III. *In funus* B. CAROLI LUNDII, *Profess. Jur. Patr. Upsal.*
IV. - - - B. OLAVI RUDBECKII, *Med. D. & Prof. Upsal.*
V. *In obitum* B. MICHAELIS ENEMANNI, *LL. OO. Prof. Upsal.*

Cum adjecta decade Programmatum funebrium
&
Præfatiuncula Editoris
CHRISTIANI NETTELBLADT.

ROSTOCHII & LIPSIÆ.
Apud JO. HEINR. RÜSWORMIUM,
MDCCXXXI.

MEMORIA
VIRORUM IN SECULO REFORMATIONIS
REDIVIVA,
SEU
ORATIONUM
FUNEBRIUM

S. R. M.

MAGNÆ FIDEI

VIRO

GENEROSISSIMO AC NO-

BILISSIMO

DOMINO

DN. GUSTAVO

BONEAUSCHIÖLD,

REGIÆ CANCELLARIÆ

CONSILIARIO GRAVISSIMO,

Tomum hujus Collectionis quartum
in
GRATI ANIMI OBSERVANTIÆQUE SUÆ
DOCUMENTUM
cum
calidis & sinceris
pro
TANTI VIRI
INCOLUMITATE FELICITATEQUE
perpetua votis
suique
obnixa commendatione
sacrum esse jubet

CHRISTIANUS NETTELBLADT.

PRÆFATIO.

QUartam hanc Orationum Funebrium, virorum gentis Suetica doctorum memoriæ consecratarum, Pentada verbis multis commendare tanto minus opus esse duxi, quanto certius persuasus sum, eam & auctorum eloquentia, & earum quas continet, rerum gravitate ipsam se Historiæ Literariæ nostratis Studiosis commendaturam. Sufficiet igitur monuisse, orationem illam, qua laudes viri summi MARTINI BRUNNERI celebrantur, nondum typis impressam mecum a Viro maxime Reverendo D. OLAVO

CELSIO, benevole communicatam; adjectamque esse huic Tomo Decadem unam Programmatum funebrium, vitam virorum, qui eruditione inter nostros inclaruerunt, breviter delineantium. Quod institutum & Lectoribus gratum fore confido, & a me posthac ita servatum iri promitto, ut quarto cuique Tomo hujus operis Decas una talium Programmatum adjiciatur. Cumque quartus hic Tomus Volumen primum hujus operis clausurus sit, sequetur primo quoque tempore index in omnes quatuor jam editas partes accuratus, & additiones aliquæ, quibus si quid in Orationibus hisce funebribus minus explicate dictum, aut plane præteritum est, uberius explanabitur & ab oblivione vindicabitur. Interim vale, mi Lector, & conatus meos favore Tuo adjuva.

Num.

Num. I.

LILIA

IN

TVMVLVM AC MONVMENTVM

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS,

DOMINI

ERICI BENZELII,

SS. THEOL. DOCTORIS LONGE CELEBERRIMI, REGNI SVIONICI ARCHI-EPISCOPI EMINENTISSIMI, AC ACADEMIAE VPSALIENSIS PRO-CANCELLARII MAGNIFICENTISSIMI,

A

JOHANNE ESBERGIO,

SS. THEOL. DOCT. PROFESS. ANTIQVAE VPSAL. ECCL. PAST. ET PRÆP. NVNC CONFIRMATO PER GOTHOLANDIAM SVPERINTENDENTE,

PROSTRIDIE EXSEQVIARVM XIX. MAII ANNI CIↃIↃCIX. PIE AC RELIGIOSE SPARSA.

AD QVÆ ACCESSIT

EIVSDEM AVCTORIS PROGRAMMA

Continens vitam & noviſſima longe Celeberrimi Viri

DOMINI

LAVRENTII NORRMANNI,

GOTHOBVRGENSIVM DESIGNATI ET RITE CONSECRATI EPISCOPI REVERENDISSIMI.

NIhil nobis in Rectoratus noſtri auſpiciis, vel triſtius, vel gravius obvenire poterat, quam mortem nuntiare, funus & juſta indicere, vitam deſcribere, ingenii exercitationes & curricula mentis exponere Herois, dum viveret, in literis incomparabilis Domini LAVRENTII NORRMANNI, hujus Academiæ Profeſſoris Primarii, inde Gothoburgenſis Diœceſeos Epiſcopi Reverendiſſimi, qui tantam virtute & eruditione, vix imitabili conſecutus eſt in literato orbe famam, in Eccleſia dignitatem, in Regia & Auguſta Domo gratiam, & nunc in cœlo gloriam, ut vel diſertiſſimi oris facundiam, quanto magis noſtram in dicendo infantiam, eludere & adſpernari videantur. Nec tam grave, noſtrisque humeris intolerabile onus, primoribus digitis attrectare & commovere conaremur, niſi muneris ratio, hanc nobis neceſſitatem imponeret, & alius magis idoneus & facundus, nobis ſuccederet Olor, qui affectas, divini herois laudes, juſta panegyri complectetur, noſtrique ſermonis cal-

calvitiem, comtæ orationis cincinnis & fimbriis cooperiet & exornabit. Interea, non expectabitis a nobis aliquem, Reverendiſſimi Epiſcopi, exactum vitæ indicem, quum in magna funeris & exequiarum feſtinatione, nec omnis monumentorum, quorum fidem vnice ſequi debemus, ſuppellex & apparatus nobis promtus, nec quæ ex diariis, & faſtorum notationibus breviſſimis carptim eruebantur, ejuscemodi eſſent, ut vel noſtro deſiderio, vel perſonæ ac rerum dignitati ſuffecerint. Ex quo animadvertimus, ſummi Viri, in tanto eruditionis & auctoritatis faſtigio, verecundiam, modeſtiam, rerumque humanarum deſpicientiam, a vanæ gloriæ cupiditate, & jactantiæ ſordibus remotiſſimam. Qualem tamen invenimus Dominum NORRMANNVM, nobis omnibus, melius ex muneris neceſſitudine, & diuturna virtutis, ſummæque ſapientiæ periclitatione, quam ex diariis, parca manu, adornatis cognitum, talem, ſi modo aſſequi potuerimus, veſtris oculis repræſentare conabimur. Primam hujus amœniſſimæ lucis auram, Reverendiſſimus Epiſcopus hauſit, ſuperioris ſeculi Anno LI. menſis Aprilis die XXIV. quum paulo ante, pax

inter Regnum Sveciæ & Imperatorem Romanum, ſumma cum noſtræ gentis gloria, novarumque ditionum acceſſione & lucro eſſet inſtaurata. Parentibus eſt natus clariſſimis, Domino Iohanne Norrman, Regni Sveciæ quondam Senatoris, & Cancellarii, Illuſtriſſimi, & Celſiſſimi Comitis, Domini AXELII OXENSTIERNII prætore ſupremo, & redituum ex fundis prædiisque tam hæreditariis, quam mancipii jure partis, redundantium curatore fidelisſimo: Matre, Lectisſima Matrona Rebecca Bark, quæ & ipſa, natalibus clara, ita ſui ſexus, & proſapiæ dignitatem, propria virtute conſervavit & auxit, ut non minora, quam a maioribus acceperat, iisdem ornamenta reddidiſſe viſa eſſet. Quum autem, dictum conjugum honeſtiſſimorum par, larium & fortunarum omnium ſedem, in Sudermanniæ parœcia Jäder, & fructuoſiſſimo prædio Norrby conſtituiſſent, infantulum hunc, ibi terrarum edi, ſacro latice tingi, & primis literarum rudimentis & tirociniis imbui, auſpicato contigit. Sed quæcunque ludimagiſter diſcenda commendavit, non perinde ac ſui æquales & ſocii, anxia diligentia NORRMANNVS memoriæ infixit, ſed velut inde

de ab utero insita & impressa, ita omnium rationem repetenti ludimagistro, citra cunctationem reddidit. Ex his luculentis, Divini ingenii speciminibus, pronum erat parentibus optimis augurari, nihil esse tam arduum, quo non eniti, tam abstrusum, quo non penetrare, tam remotum & disitum, quo non pervenire posset tantæ indolis vis, si e carceribus in stadium producta, aliquos inveniisset Ladas atque Bojuscos, qui literarum stadium sæpius metati, exemplo eam accenderent, & quod potisimum, in studiorum spatio esset tenendum iter, manu velut indice ostenderent. Gymnasium itaque Strengnesense, illis opportunisimum visum est, quo filium mitterent. Erat enim, non modo vicinum, & terra marique Jederianis accolis patens, sed & clarisimorum virorum copia, & discipulorum, istuc undique confluentium frequentia inclytum. Ad hanc Musarum palæstram Anno 1664, tendit Beatus NORRMANNVS, in qua se ita, per triennium in literis exercuit, ita erga præceptores & condiscipulos gesit, ut Anno 1668. ad hanc Academiam profecturus, meruerit testimonium luculentum, & commendationem plane inusitatam &

singularem. Ita enim Gymnasii Rector, Plurimum Reverendus, & Clarissimus Magister Goscalcus Tranæus, Magnifico hujus Academiæ Rectori planis scribit verbis: TALEM NVNC NOSTRA MITTIT STRENGNESIA, QVALEM NEC VIDIT, NEC VIDEBIT. Si de alio hæc scripsisset vir, & eruditione, & candore nobis imprimis cognitus, vix apud omnes fidem invenisset, quum autem de NORRMANNO, pius & veridicus hæc dixerat vates, apud omnes fidem & applausum habuit. Sic enim statuo: Nihil alias gentes, de suis eruditis, ex re & vero jactare posse, quod non æque in nostrum conveniat NORRMANNVM, ad cujus merita & laudes, mea humilis non ascendit oratio. In civitatem nostram receptus, non otio obtorpuit, sed eadem per omnes ætates fuit animi contentio; nulla a studiis relaxatio. Sæpe dies cum noctibus, labore insomni conjunxit, modico interim, aut nullo, ad naturæ recreationem, & corporis desideria satiandum, sumto cibo. Et tamen, in illa victus continentia, & legendi, meditandi, scribendi, & excerpendi incredibili assiduitate, valetudinem retinuit inviolabilem, nullisque admodum morbis con-

concussam & debilitatam. Eo in vitæ genere, hic Upsaliæ perseveravit, ad annum 1676. Quo sibi thori sociam delegit, natalium, & virtutum splendore Nobilissimam, & ornatissimam virginem ELISABETHAM ROMAN, Metropolitanæ urbis Consulis Primarii, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi Viri, Domini Birgeri Romani filiam, natu minimam, quæ nunc superstes, mariti exuvias, cum luctu & lacrymis, ad tumulum prosequitur. Duobus interpositis annis, Illustrissimi Comitis, Domini CAROLI OXENSTIERNII stipendio ornatus, ad capiendum ingenii & literarum fructum, peregre discessit, & littora maris Baltici legens, Kilam iter direxit, cum Academia Serenissimi Principis Albrechti, Holsatiæ Ducis auspiciis Anno 1665. condita tum magni nominis Professorum frequentia & copia, celeberrimam. Inde Lubecam profectus, etiam Ducatu Luneburgensi peragrato, Hamburgum petiit. Ubi aliquamdiu commoratus, Domini Edzardi, lingvarum Orientalium peritia, & in convertendis Judæis zelo & successu, per universum orbem Christianum famigeratissimi convictu, & necessitudine vsus est, qui NORRMAN-

NVM noſtrum, ægerrime e ſinu & complexu ſuo avelli paſſus eſt. Omnis enim Noſtro, mora gravis erat, antequam adiiſſet Belgas, politioris literaturæ promos condosque ſolertisſimos. Solvens itaque Hamburgo, cum rebus & ſarcinis quidem incolumis, Amſtelodamum delatus eſt. Sed conatus ejus, valetudinis iniquitas, ſubito peremit atque exſtinxit. Animo enim deſtinatum habuit, non Hollandiam modo, eiusque clarisſimas urbes Lugdunum, Dordracum, Hagam, Roterodamum, ſed & reliquas Belgii provincias & urbes oculis ſuis uſurpare, quæve ſuis Camenis profutura intelligebat, ex ſingulis acquirere, ut augendæ eruditionis inſtrumentis locupletior, domum rediret. Sed ingraveſcens morbus, patriæ deſiderium inſtauravit. Maluit enim, ſi quid ſibi humanitus accidiſſet, oſſa ſolo paterno reddere, quam quibusvis aliis, a noſtra religione abhorrentibus, ea credere. De ſpiritu nihil laboravit, probe gnarus, undique ad cælos tantundem eſſe viæ. Mari itaque ſecundiſſima navigatione trajecto, ad ſuos, eunte in melius valetudine, revertit. Anno vero 1680. Senatori, & Cancellario Regio, Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Heroi & Comiti

Comiti, Domino MAGNO DE LA GARDIE, eruditorum Mæcenati maximo, a ſecretis eſſe cœpit, cujus ampliſſima commendatione & gratia, anno ſequente, Extraordinariam Lingvarum Orientalium Profeſſionem, in hac Academia adeptus eſt, quam integro fere luſtro terminavit. Interea tamen, novis ſolicitatur fortunæ incrementis. Anno quippe 1683. a Rege longe Clementiſſimo CAROLO XI. ipſi oblatum eſt munus profeſſionis ordinariæ Græcarum & Orientalium lingvarum in Academia Carolina Scanorum ampliſſimum, quam honorificam ſtationem, ſupplicibus literis deprecatus eſt. Paullo autem poſt, cum hoc munere conjunxit ſummus Monarcha Bibliothecæ præfecturam, ut hoc auctioris regiæ munificentiæ pignore, tanto magis obſtringeret, & accenderet, obſequioſiſſimum civem, ad ſpartam ſine recuſatione, aut deprecatione ſuſcipiendam, qua Regis clementiſſimi voluntate ſibi acquieſcendum ſtatuit. Quum autem huic Academiæ, ſingulari DEI munere & providentia, eſſet totus deſtinatus NORRMANNVS, & celeberrimo viro, Domino Petro Lagerlöfvio, Logices & Metaphyſices Profeſſori, ex omnium ſen-

tentia & voto, Eloquentiæ profesſio obtigiſſet, Regi clementisſimo complacuit NORRMANNVM, dudum deſignatum Carolinæ Academiæ Profeſſorem & Bibliothecarium Lagerlöfvio ſufficere. Ad hanc ſpartam, ut admoveri cœptus eſt Anno 1684, ita ſequentis anni menſe Septembri, d. 24, nactus eſt provinciam, ſuo ingenio & ſtudiis apprime aptam & accommodatam, & a multis annis ardentisſimis votis expetitam, Profesſionem ſcilicet Græcarum litterarum, quas a puero coluit, in deliciis habuit, & omnibus Europæis melius intellexit & calluit. Ita enim exiſtimo, nusquam terrarum quemquam reperiri, qui de principatu in his literis, cum NORRMANNO auſit contendere. Nec facile crediderim ullum eſſe typis vulgatum auctorem Græcum, quem ipſe non viderit, legerit, a capite ad calcem evolverit, & quæ in ſingulis occurrant ſermonis vitia, lituris abolenda, vel etiam argute, ſcite & tempeſtive dicta non notaverit, & in memoria, non minus, quam chartis & ſchedis penitus inſcripta habuerit. Nec quisquam hanc gloriam, NORRMANNO jure invidere debet. Ad has enim litteras, velut quapiam tempeſtate, inde a puero delatus,

latus, in iisdem conseneſcere optavit. Quod tamen fieri non potuit. Anno quippe 1694. 26. Febr. Senatus Academici ſuffragiis, Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Herois & Comitis b. m. Domini BENEDICTI OXENSTIERNII, Academiæ Cancellarii commendatione, & REGIS clementiſſimi juſſu & approbatione, adiit functionem novam in Veneranda Facultate Theologica, qua rite ſuſcepta, Regio ſubſidio, eoque amplisſimo, ſtipatus, iterum ad exteras, ſed nobis fidei neceſſitudine conjunctiſſimas regiones excurrit, ex profeſſionis videlicet ratione, ſui itineris curſum moderans. Hafniam enim inviſit, Lubecam, Hamburgum, Lipſiam, Wittembergam, aliasque his finitimas, & in itinere obvias urbes. Quocunque iverat, maximo honore & applauſu, ab omnibus eruditis exceptus eſt. Neque enim quicquam niſi venerabile ex Viro ſapientiſſimo, & ad gravitatem toto compoſito effulſit, in cujus non adſcititia, calamiſtrata & ficta, ſed genitiva cæſarie, ſuccreſcere & efflореſcere cœpit rara, ſed tamen notabilis canities, eadem ætatis vergentis teſtis, & auctoritatis conciliatrix. Ejusdem anni 13. Julii Upſaliam rediit lectiſſimorum librorum ſarci-

sarcinis gravior, & multarum rerum experientia doctior. Vertentis anni 12. Febr. per preces, & manuum impositionem ecclesiasticum ordinem ingressus est. Quanta autem cum pietate, & devotione, ipsi Vos, O Patres, Civesque Academici, cum multis aliis spectatoribus, testes estis. Neque tamen adhuc sedari potuit Viri, ad literarum cultum nati, desiderium. Gestiebat enim aliquas ex Belgio, pridem a se, sed obiter salutato, acquirere delicias, & literarum condimenta, quæ velut uvæ ex recenti termite seu palmite avulsæ, ita ista in suo fundo lecta & comparata, magis delectant. Anno 1686, 24. Julii, tertiam & ultimam aggressus peregrinationem, Stralsundum prorso itinere navigavit, inde per Wismariam, Hamburgum perrexit, ubi modico ad requiem sumto tempore, Amstelodamum, eadem, qua antea via pervenit. Quid autem ibi, ut & Lugduni egerit hic inexplebilis (verbis Ciceronis utor) librorum heluo, mecum ipsi facile potestis suspicari. Nimirum, solebat eruditissimum quemque convenire, quid ageret, & publico destinaret scisciatari, quæ manuscripta, aut quos codices vetustos & nondum editos haberet requirere, & pro com-

communi literarum salute obtestari, ne quid sibi hospiti dissimularet, & quæ fuerint alia viri otio atque literis recte utentis, publicique magis, quam sui commodi satagentis studia. Inde Bibliopolarum indices, tabernas & loculos penitus rimari & excutere, quæ in rem suam videbantur, numerata quantumvis magna pecunia redimere. Hæc fuerunt nunquam satis laudandi NORRMANNI peregrinationis incitamenta & negotia. Anni sequentis 11. Aprilis attigit Upsaliam, tutissimum suarum literarum perfugium, receptaculum & portum, in quo, cum maxima dignitate, usque ad supremam horam vixit, novis etiam honoribus & titulis mactatus. Anno etenim superioris seculi 98. die 21. Febr. a Sacra Regia Majestate, Academiæ Bibliothecæ præfectus est, quod munus, professioni sociatum, maxima fide & industria, per quatuor annos administravit. Hujus vero seculi anno secundo, die 10. Julii, a REGE nostro clementissimo, renuntiatus est hujus celeberrimæ Academiæ Professor primarius, Templi Cathedralis Præpositus, & utriusque Ecclesiæ, urbicæ & rusticæ Pastor, quo in munere, tranquille consenescere sibi optimum duxit. Sed DEO, &

Regi

Regi aliter visum fuit. Anni enim sequentis 8. Januarii, qui erat hujus seculi tertius, nihil tale speranti, ad manus pervenit Regium diploma, in Polonia scriptum & obsignatum, quo jubetur Diœcesin Gothoburgensem moderandam suscipere. Deprecatus equidem est, per supplices literas hoc onus, quo Sacram Regiam Majestatem, eum levare voluisse, ex literis Regiis postea intelleximus. Sed Beatus NORRMANNVS ad hunc lætum nuntium, quem vivus anxie exspectaverat, postea morte peremtus, obsurduit. Quoad vixit, ut debuit, Regum optimi justis religiosissime paruit, & 3. Maji per Reverendissimi Patris, Domini Archi-Episcopi, Pro-Cancellarii nostri Eminentissimi manus, accepta Episcopali insula, res suas ad abitum in Gothiam maturandum composuit. Sed res longe aliter cecidit. Mense enim Aprili, cœpit aliquod acciſæ primum & imminutæ valetudinis sentire detrimentum, neque tamen tantum, ut mortis vicinitatem portendere videri posset. Per intervalla enim depulsa rediit ægritudo. Nec dolor exagitavit eas corporis partes, quæ violatæ mortem accelerare solent. Sed ut existimo, in dolore confitendo reticentior fuit.

Id

Id certe confitentem, nos audiſſe meminimus, cum eum d. 8. Aprilis conveniſſemus: Scire ſe, haud diuturnam ſibi vitam fore. Ex quo intelligimus mortem illi, ut præſago & ſapienti, accidiſſe exſpectatam. Meminerat enim nos, in hac vita eſſe hoſpites ac peregrinos, & hinc diſceſſuros tamquam ex hoſpitio, non tamquam ex domo, commorandi enim Deum diverſorium nobis, non habitandi dediſſe locum. Octava Maji, ſævire & ingraveſcere morbus occœpit, & velut armatis in ſe ditionem ſingulis pectoris partibus, ſtimulis & compunctionibus pleuriticis, debile corpus affligere, quem tamen morbum, aliqua temporis mora, vel ſuſtulit, vel mitigavit. Sed 14. Maji, in ejus vicem ſucceſſit, non quidem ſenſu, ſed tamen ſuapte natura deterior, & cum morte conjunctior ægritudo, quæ urinæ canales atque meandros obturavit. His enim obſtructis, vitam ſibi nullus diuturnam polliceri poteſt. Adhibuit equidem, ex Medicorum conſilio remedia, quæ ad calculum ſolvendum, & excernendum idonea, accommodata eſſe videbantur, ſed, nullam cum ſenſiſſet relevationem, abjectis aliis curis omnibus, ſe totum in Salvatoris noſtri Je-

ſu

ſu Chriſti gremium ſinumque conjecit, & ſumto, ad animæ paſtum, & recreationem cœleſti viatico, 21. Maji, circa horam noctis undecimam, integerrimo omnium ſenſuum & lingvæ uſu, animam Jeſu Chriſto, piis ſuſpiriis & precibus commendatam, placidisſime efflavit. Eruditionis vaſtisſimæ, & per omnes lingvas & ſcientias divinas æque ac humanas latisſime diffuſæ monumenta & ſpecimina reliquit varia, eaque luculenta: Orationem ſcilicet Ariſtidis utramque de codice manuſcripto, duosque artium oratoriarum libros de vetuſta, eademque adhuc unica editione Aldina, quos deſcripſit, edidit, verſione notisque neceſſariis illuſtravit: Theoduli Monachi, ſive Thomæ Magiſtri laudationem Gregorii Theologi Nazianzeni: Ejusdem orationes gratulatorias IV. & Epiſtolas VIII, quas edidit & intepretatus eſt. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, περὶ τῶν τῆς διανοίας σχημάτων, καὶ περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων libros duos: ΦΟΙΒΑΜΜΩΝΟΣ Σχόλια, περὶ σχημάτων Ῥητορικῶν libros duos: MINOTKIANOT περὶ ἐπιχειρημάτων, librum unum, quos interpretatus NORRMANNVS, Rhetores ipſos, qua ex ingenio, qua inveſtigatis auctorum teſtimoniis, locis innumeris, meliores ornatiq-

tioresque fecit. ΟΡΘΟΔΟΞΟΣ ὁμολογία τῆς καθολικῆς ϗ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολικῆς, quam in Latinum idioma transtulit, & præfatione longa, atque erudita auctam & exornatam Lipsiæ, per Thomam Fritschium, Anno 1695. typis vulgari curavit. Hæc lucem viderunt; Sed alia multa edenda supersunt. Imprimis vero, opus multorum annorum, ex schedis, alphabetico ordine digestis, coacervatum, æstimationem meretur, & laudem maximam, ex his enim, mediocri labore confici posset Lexicon Græcum, absolute perfectum, quale nunquam viderat orbis. Multas præterea habuit, & prope innumeras orationes & parentationes, tanta facundia & arte elaboratas, ut maximi quique viri, hunc sibi potissimum, vitæ & laudum suarum præconem, jam vivi, stipulata manu flagitaverint. Ter magistratum Academicum, quem Rectoratum vocamus, summa animi mansvetudine, prudentia & æquitate gessit. Cum conjuge nobilissima, annos septem & viginti concordissime vixit, ex qua suscepit decem utriusque sexus, non degeneres liberos, mutui amoris certissimos testes, quorum quatuor, Deus cœlo dudum vindicaverat, sex autem sunt su-

perstites, & in his magnæ indolis & spei adolescens Dn. Theodorus Laur. Norrmannus, qui omnes & singuli, una cum matre vidua, pulla & lugubri veste, squalore & lacrimis, etiam cum singultu profusis, solitudinem & orbitatem suam lugent atque complorant. In hac ærumnosa vitæ statione vixit NORRMANNVS duos & quinquaginta annos cum integro mense. Quum autem Nobilissimæ Matronæ viduæ, & hæredibus mœstissimis constitutum sit, crastina die, quæ est hujus mensis 21. Martii, & Patris optimi corpus, divini ingenii, prodigiosæ sapientiæ, & Spiritus Sancti domicilium & officinam decenter componere, tumuloque inferre; Vos omnes & singulos, summæ, mediæ & inferioris dignitatis Patres, Cives, Hospites, quos in limine compellavimus, iterum reverenter, officiose & amice rogamus, atque obtestamur, velitis honorifica præsentia, vestram ita erga beate defunctum pietatem, erga literas gratiam, studium & facilitatem, & erga superstites, mœrorique proximos, benivolentiam & humanitatem testatam facere. Valete! P. P. Upsal. d. 20. Junii Anno 1703.

AVDI-

AVDITORES MOESTISSIMI, OMNIVMQVE ORDINVM HONORATISSIMI.

HEri Sancti Patris Domini ERICI BENZELII, Arctoæ Ecclesiæ Pontificis & Antistitis Eminentissimi exuvias, illustris familiæ lacrymis conspersas, inter propinquorum renovatos planctus ac complorationes, & patrum civiumque omnium, potissimum vero Academicorum, jacturam hanc acerbius indolentium crebra suspiria, ad cubile suum, pullata prosequente caterva deduximus. Quod ex justorum religione supereſt, voluntate Illustris prosapiæ, & auctoritate Senatus Academici mihi absolvendum traditur, sed ad officium tam sanctum & amplum parum apto, certe ut omnes scitis, imparato. Inapparationis causas silentio involvere malo, quam earum supervacanea commemoratione aures vestras vellicare ac obtundere. Quæcunque tandem animo, inter recusandi & suscipiendi officii consilia aliquamdiu fluctuanti obversabantur dubia, ea omnia pietas in Beati Archiepiscopi manes, reverentia erga mœstissimam domum, obsequium erga vos, Patres conscripti, compensatis utrinque

momentis, subito profligarunt. Antequam vero florum ac liliorum, inter gemitus ac lacrimas in obvio prato lectorum manipulum tumulo inspergam, Te, Eminentissime Præsul, licebit enim absentem tanquam præsentem, remota omni superstione, appellare; Te, inquam, deprecor, velis mihi in laudes tuas ituro, sed infirmitatis conscientia vacillanti, & marcidas violas sternere verecundanti ignoscere. Cum adhuc mortalis esses, munusculum nostrum librarium placido vultu accepisti, nunc divis adscriptus munera nostra negligis, inania manium placamenta, inferias ac libamenta, ab otiosis & superstitiosis hominibus excogitata despicis ac damnas. Nihil eorum, quæ mortalibus in deliciis esse solent, jam ipse immortalis, deliciis immensis & æternis satiatus desideras. Non tamen propter hanc, quam nactus es ineffabilem felicitatem, cum rerum humanarum oblivione vel despicientia conjunctam, ab officio & parentandi consuetudine, quam pietas nobis inculcat, meritorum Tuorum memoria ac veneratio, nec non exemplorum ad sancte vivendum copiosa suppellex, ex tuæ vitæ commemoratione redundans, nobis prolixe commendat, est recedendum: Neque enim hoc emolumento uberrimo superstites, intermissa officii religione, fraudari velis. Sed id potissimum curam nobis & solicitudinem parit, quemadmodum omnes officii parentalis numeros ri-

te

te expleamus, & Tua vita, Tuis curis ac laboribus, Tuis excubiis & lucubrationibus pro Ecclesiæ incolumitate exantlatis dignam orationem inveniamus, in qua sicubi cespitatum fuerit, veniam nobis reverenter deposcimus. A Beato Patre, nunc cælis vindicato, ad vos, Reverendissime, Celeberrime, Amplissimi, Clarissimi Domini, qui ex optimi Soceri & Parentis obitu maximum dolorem cepistis, eumque tristi vultu & lugubri cultu pie testamini, meo sermone deflecto, vehementer & qua par est mentis observantia rogans, velitis animum ab omnis facundiæ & oratoriæ artis exspectatione, imo suspicione procul abducere, cum nihil indiserto oratori magis ad plausus aucupium, quo tamen nunquam delector, obesse possit. Laudes incomparabilis Viri equidem pluscula desiderare videbuntur eloquentiam rerum indoli respondentem, hoc est, ad supremum apicem & fastigium sublatam ac ad regulas dicendi belle pexam & festive exornatam, sed Minerva nostra morosam illam subtilitatem ac elegantiam non venatur, quia non assequitur, & præclare secum agi putat, si tolerabili dicendi genere res eximias vel complecti, vel saltim lacinia obtinere possit, magnamque ex argumenti dignitate gratiam quærit, nullum ex artificio existimationis lucellum ambitiose affectat. Et si, quod sentio, libere fateri liceat, pace Rhetorum dixerim, res te-

nues, viles, abjectas, velut strigosa jumenta verborum phaleras, quo facilius veneant & licitatores alliciantur, desiderare, magnas vero & admirabiles verborum integumenta & lenocinia adspernari. Quum itaque vita summi Præsulis tot virtutis, pietatis, eruditionis ac prudentiæ luculentis exemplis & documentis per se fulgeat, lucem verborum haud magnopere desiderare videtur, obscuro tantum & inquinato dicendi genere profanari recusat, quod vitium & nos procul habemus, & ne obrepat nobis, sedulo cavebimus. De vestra autem, Patres conscripti, summa benevolentia ac humanitate, ut dubitem, religio vetat, mihi anim has partes imposuistis, quas vestro gravissimo judicio fretus ac mirifice recreatus, etiam cum succumbendi periculo obsequiose suscepi. Quare meum fuerit, adplicata omni cura, industria & diligentia providere, ne vestro judicio errasse, ac in indignum aut ignavum suffragia hæc honorifica contulisse videamini. In luctu autem hoc publico magno nobis est solatio, quod conspiciamus omnium ordinum lectissimos cives magna frequentia convenisse, omnia subsellia & loca pedibus saltim figendis idonea occupasse, cunctos inter se de palma testificandæ, erga Eminentissimum Patrem, ut vivum venerationis, ita post obitum pietatis causa certare. Quod mutuum certamen Præsulis Constantinopolitani Divi Chrysostomi memoriam in nobis

bis refricat ac instaurat. Eum etenim omnes cordati cives præsentem incredibli amore & obsequio, exsulantem flagranti desiderio, post fata luctu acerbissimo prosequuti sunt. Et quum Cæsar Arcadius reliquias sancti confessoris Constantinopolim deferri curasset, mira circumfusi populi, nunc reditu corporis exsultantis, nunc defuncti abitu plorantis celebritate exceptæ sunt. Chrysostomo nostro paria, si exilii tristitiam excipias, contigisse vidimus, & adhuc contingere videmus.

Heri exsequias largo & denso ordine ivimus, concionem sententiarum & exemplorum exquisitissimis floribus conpersam, nec non BENZELIANÆ pietatis ac prudentiæ lucidis simulacris distinctam, cum maxima mentis & aurium oblectatione, & imitandi cupiditate audivimus, reliquis sepulcro rite intulimus; multo minori nunc quidem copia, sed studio pari ad panegyrim celebrandam confluximus. Hactenus omnia recte, decenter, festive nobis evenerant. Faxis Deus Teroptime maxime, ut hoc parentationis honorificum munus, quod non affectaveram, sed unice pietatem, religionem, consuetudinem, addo & necessitudinem secutus; & quod potissimum est, & esse debet, Tuo Divino auxilio fretus susceperam, in Tui Sanctissimi Nominis gloriam, præsulis nostri optimi, desideratissimi, felicissimi laudabilem ac constantem memoriam, illustris-

lustrisque familiæ qualecunque doloris lenimentum inoffenso gradu procedat, & hoc novissimum pietatis officium a me peragendum, successu, usu, gratia principiis optimis respondere jube.

Ne temere vagari, aut eodem identidem revolvi videamur, ordinem, quem ætatis, studiorum honorumque ratio nobis subministrat, sine vestigiorum inflexu sequemur; ubi se primum considerandæ offerunt viri summi incunabula, honestissima quidem, sed a tantæ dignitatis, quam postea improbo labore & infinitis lucubrationibus consecutus est, spe & exspectatione remotissima, licet nonnullis exemplis, sed oppido rarissimis, nixa. Natale ipsi solum fuit Bothnia Occidentalis, quam rerum patriarum ignari, extra omnem humanitatem & cultum, moratiorum gentium necessitudinem, literarum commercium, postremo extra mundum profligatam suspicantur, errore non levi, certe superabili, & si severiorem expedire censuram lubeat, etiam fustibus castigando, cum illam inadvertentiam soli incredibilis amœnitas, glebæ fertilitas, colonorum frequentia, eorumque assiduitas, fides, hospitalitas, frugalitas, religio, humanitas, abstinentia omnisque cultioris vitæ apparatus abunde refellant.

Si his beneficiis ac ornamentis commodus obtingeret præco, non dicam dies, sed ne mensis quidem illis explicandis sufficeret. Oculis enim

enim noſtris contemplandam exponeret regionem, ad ſinus Bothnici crepidinem longe exporrectam, non horridis tesquis, non abruptis præcipitiis, non montium inviſa declivitate aſperam, ſed planam, undique cœlo patentem, nemoribus criſpis tanquam manu ſatis egregie pexam, alicubi quidem leniter intumeſcentem, ſed mox gratiſſima devexitate ad convallium depreſſa redeuntem, non promontoriis a maris confinio revulſam, ſed eidem arctiſſime, prætextis tamen inſulis copulatam, quarum pulcritudinem & venuſtatem, cum multiplici uſu conjunctam accolæ quotidie experiuntur, nos vix cogitando aſſequi, ne dum ſermocinando exprimere valemus. Agitati etenim maris impetum ac violentiam inſulæ ſiſtunt, & placatos fluctus ad litora Bothniæ leni ſuſurro volvunt, ut in portuoſis pelagi ſpatiis piſcatores commode & ſine periculo verſari, retia explicare, piſces capere, & belluis pluſculis, nunc in aquæ fluctuantibus, nunc cubicula & otia in aprico aliquo ſcopulo quærentibus callide inſidiari poſſint. Ad uſum accedit oculorum mira voluptas, quam inſularum paſcuarum diverſa comparatio in proſpiciente gignit. Nunc enim reſilire, nunc congredi, nunc horti ſpecie frondeſcere, nunc calvitiem induere, nunc quieſcere, iterum ſusque deque ferri, nunc hujus, nunc iſtius monſtri ſpeciem viciſſim aſſumere ac deponere, ludentis naturæ gratiſſimo errore videntur. Habet

quidem hæc Tellus perinde ac omnes aliæ toto cœlo ſparſæ ſua incommoda, potiſſimum ex frigoris inclementia nata, ſed ea æſtatis admiranda jucunditate miteſcunt, & ſolis geminata mora abunde compenſantur. Dierum enim noctiumque diſcrimina per aliquot hebdomadas ceſſant, nocte tota in diem, crepuſculo in diluculum, veſpera in auroram, prodigioſa, & exteris vix credenda, nobis autem experta converſione cedentibus. Hoc noctis exilio duplicatur dierum numerus, & ſata ex ſulcis ſurgunt, adoleſcunt & ad maturitatem opinione velocius properant, cum ſementis & meſſis quinquaginta dierum intercalario jungantur. Hæc coruſca multisque naturæ miraculis nobilis regio multos tulit viros, cum Archiepiſcopali infula illuſtres, tum aliis honorum gradibus conſpicuos, inter quos nobis eſt nominandus Magiſter Nicolaus Olai Bothnienſis, qui ante ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula Theologicam Profeſſionem in hoc Illuſtriſſimo Atheneo exornavit, multasque perſecutiones, injurias, imo & vincula propter repudiatam interimiſticam Sphingem ac liturgiam, quam Rex a Papicolis ſeductus in deliciis habuit, fovit, ſubditisque obtruſam voluit, invicta animi conſtantia pertulit, partesque præſidendi in Concilio Upſalienſi communi totius, hactenus ſine duce errantis cleri ſuffragio obtinuit ac glorioſe adminiſtravit, & ſic ſummo omnium bonorum conſenſu uſurpavit

pavit honores Archiepiscopo debitos antequam esset, quibus reapse electus & confirmatus ob intervenientem mortem frui pauxillum, uti omnino nihil potuit. Alter Bothnienſium, qui sedem Archiepiscopalem ornavit, est Doctor Petrus Kenicius, Nicolai jam laudati honore collega, labore socius, ærumnarum earundem perpessione & experimento consors, & læta rerum conversione Nicolao felicior, quod Ecclesiæ arvum, lolio papistico funditus exstirpato, resloresscere, Academiam Upsalienſem Pontificiorum fraudibus desolatam instaurari, munificentia immortalis ac sanctissimæ recordationis Regis GVSTAVI ADOLPHI, & Professorum numero, & redituum accessione, & novo Pro-Cancellarii titulo, quem Kenicius primus ipse gesſit, augeri, locupletari, & sic in novam formam, pristina longe meliorem auspicatiorem rediği ac refingi cum ingenti gaudio vidisset. Omitto alios clarissimos viros ex Bothnia, velut ex equo Trojano exsilientes, quorum numerum si inire, aut nomina appellare vellem, magnopere mihi verendum esset, ne molestæ & supervacaneæ sedulitatis notam, quam declinare cupio, exciperem, cum neminem nisi in patria hospitem latere possit, Bothnienses ingenio valere plurimum, & accedente labore, quem non refugere solent, in quam secunque scientiarum partem dederint, eam felicissime assequi, & quæ mentis subtilitate ceperant, obse-

quio-

quioso lingvæ ministerio aliis tradere & inculcare posse. In hac clarissima regione, prope Emporium Lulense in pago Benzby, Anno seculi superioris trigesimo secundo jam senescente, & auriga ad novi anni auspicia ac solemnia rapido cursu per Decembris mensem festinante, equisque otia vicina prospicientibus, adjuvante devexitate anni, ungulis terram nive ac glacie lubricam ocyssime quatientibus, natus est Reverendissimus Præsul. Parentes pietate & domestica disciplina laudabiles & inter suos probitate cognitos nobilitavit filius, cujus meritis id consecuti sumus, ut sciamus Henricum Jacobi, Territorialis judicii duodecemvirum, prudentia nativa & rerum quotidiana observatione aucta ac roborata præditum, & Margaretam Johannis filiam matronam honestissimam genuisse puerum, tantis patriæ emolumentis destinatum. Quorum, si nulla alia in rempublicam merita exstarent, ad nominum eorum memoriam ab interitu ac oblivione vindicandam vel hoc unicum suffeciſſe videtur, quod Arctoæ Ecclesiæ futurum Antistitem procreaverint. Sed cum plura parentum officia sibi, & per ipsum nobis præstita commemoret piissimus filius, minime reticenda censeo. Nam infantem rore sacro imbutum, diligentissime foverunt & educarunt ad annum usque septimum, qui ipsi in lare paterno ultimus, primus vero ad ulteriores progressus fuit. Advertite animum,

mum, Auditores Optimi, & una mecum venerabundi considerate ac recognoscite præsidia & adminicula, quibus usus est omnium rerum providus Arbiter ac Moderator Dominus ad provehendam pueri natalium tenuitate depressi, nihilque minus, propter ætatulæ imbecillitatem, quam magna cogitantis fortunam. Rem autem quam potero brevissime, remota omni verborum luxuriosa pompa, quæ aures demulcere ac oblectare quidem, sed sæpe a rerum momentis, nescio quo fascino, animum abducere solent, exponere conabor. Ut Præsuli nostro suppeterent facultates ad inchoandam & feliciter pertexendam in hac litterarum officina studiorum telam, ex Bothnia Occidentali ad has oras propitiori cœlo subjectas, velut alterum Josephum præmiserat Deus patruum ejus Olaum Petri, in negotiationibus cum innoxio lucro excercendis, numisque scienter ac sine fraude tractandis egregie versatum, cumprimis honestum, & propter spectatam in rebus omnibus prudentiam, justitiam, æquitatem ac diligentiam, in Senatus Urbici consessum, ab iis, quorum intererat, honorifice lectum. Huic erant opes amplissimæ, honestis artibus & accurata rei familiaris administratione ac custodia partæ, nulli liberi superstites. Nam quos ex conjuge castissima Helena susceperat, mutui amoris testes & pignora carissima, præcipiti fatorum lege, non sine mœrore ac luctu acerbissimo,

simo, distinctis temporum intervallis amiserat. Hi tamen funesti & sæpius recurrentes domestici casus non viri industriam frangere, & mercandi assiduitatem perimere ac debilitare potuerant. Nam ut antea, ita postea quæstum facturus in Bothniam sæpius navigavit, fratrem numerosa prole felicem invisit, atque ex filiis pluribus, unum hunc literis imbuendum solenni stipulatione, in orbitatis solatium adoptavit, atque anno superioris Seculi nono & trigesimo, sero autumno, ingruentibus sævis procellis, in littore Oergrundensi, quo navis tempestatibus quassa primum appulit, salvum & incolumem exposuit, tutiori itinere per terram suscepto, Upsaliam deducendum, ubi in ædibus laudati Patrui finem erroris, & litteris colendis idoneum invenit portum, in quo etiam per duodecim continuos annos, omnibus ad otium honestum porrectis subsidiis, liberaliter ac laute divertit. Paucis mensibus recreationi datis, mox anno sequente instituendus committitur Domino Petro Dieterici Arensbeckio Nericio, artem informandi probe callenti, nec quidquam eorum negligenti, quæ ad puerum, admirandis naturæ donis ac ornamentis præditum recto tramite, vitatis ambagibus, dirigendum conducere videbantur. Prima itaque literarum rudimenta, & nonnullarum quoque disciplinarum tirocinia, quæ ætas capere posset, auspicato jacta sunt, hoc peritissimo ludimagistro

duce,

duce, qui non probris & vernilibus plagis, his enim puero, ingenuo, docili, tractabili, festivo & vota ludimagistri præcurrenti minime opus fuerat, disciplinarum elementa inculcavit, sed blandis verbis, crepundiis & præmiorum illecebris, quibus vel ignavi, multo magis generosi tirones ad studia exstimulantur, felicissime instillavit. Quam instituendi rationem Scarensium Episc. Reverendiss. Dominus Doctor IESPERVS SVEDBERGIVS, ob magna in hanc Academiam & universam Ecclesiam merita, exquisitissimis laudibus celebrandus, ludimagistris sequendam commendat, alteram ceu ingeniorum carnificinam ac pestem vitandam in sua *Dextra Docendi Discendique sorte* prudentissime monet. Optimum docendi modum laudatus Arensbeckius tenuit, applicata assiduitate ac diligentia summa, quam Deus honoribus amplissimis in Docente & fructu literarum copiosissimo in Discente compensavit. Iste enim per varios honoris gradus velocissime currens, in cura Ecclesiæ, apud Metropolitanos nuper fundatæ, ac a Diva Catharina nuncupatæ substitit, hic Noster autem, quinque annorum disciplina tantos fecit progressus, quantos ab aliis si exigeres, iniquus, si sperares, temerarius audires. Currente hoc lustro, & Anno Seculi XLIII. favonium ad oras nostras referente, hic maximæ spei flos in hortum Academiæ satus ac transplantatus est, fasces obtinente Illustrissimo

Comi-

Comite Domino BENEDICTO OXENSTIERNA, cujus Herois Regiique Senatoris ac Cancellarii Celsissimi ingentia in litteratos omnes, atque in hanc potissimum Academiam summa exstant merita, æternis fastis dudum inscripta, atque alio tempore prolixius celebranda. Pro-Rectorem egit Johannes Stalenus Theol. Doct. & Profess. Decani partes Henricus Ausius Græcarum Literarum Professor administravit, utrique viri Celeberrimi; Depositionis ritum peregit Magister Petrus Liung, qui postea Philosophiæ Practicæ professioni, per multos annos laudabili dexteritate præfuit. His muneribus inter viros celeberrimos ita divisis, inter cives Academicos nomen & privilegia tulit Reverendissimus Præsul, qui Arensbeckio Musis nostris valedicente, in Mag. Andreæ Ajalini, Facultati Philosophicæ subsidiariam operam strenue commodantis disciplinam se contulit, qua per quinquennium ita usus est, ut exercitiis Professorum, cum publicis, tum privatis etiam frequens interfuerit, & more sedulæ apis bellaria ex floribus libantis, optima quæque ex singulorum prælectionibus condimenta hauserit. Præcipuam vero operam in litteris Orientalibus, nec non Græcis Latinisque posuit, in quibus omnibus excelluit, non tamen præteritis ceteris disciplinis ac artibus instituto ejus præclarissimo servientibus. Cumprimis vero Geographiam, Historias, Philosophiam activam, Eloquentiam

Lati-

Latinam, aliaque humaniora ſtudia, humaniſſimo ejus ingenio convenientiſſima maxima cum animi delectatione ac voluptate tractavit, & eo quidem cum ſucceſſu, ut dignisſimum eum poſtea judicaverint, cui Hiſtoriarum & Philoſophiæ moralis Profesſio extraordinaria committi debuerit. His fortunæ ſurgentis præſidiis munitus, paulatim inclareſcere & ſpecimina eruditionis varia præſertim in examinibus publicis illo tempore conſvetis, edere cœpit, tanto cum præceptorum applauſu, ut hunc ſtrenuum militem caſtra Minervæ ſequentem publico ſtipendio juvandum cenſuerint, quo haud gravatim impetrato, nactus eſt latisſimum per omnes philoſophiæ partes diſcurrendi campum, ſicut & ipſe occaſionem nullam prætermittendam duxerat, qua præceptoribus induſtriam ſuam modeſte probare, exiſtimationem de ſe conceptam augere novisque experimentis ac periclitationibus publicis confirmare potuerat. Unde præter exercitia alumnis Regiis præſcripta, luculentam orationem in Linguæ Sanctæ commendationem Anno 1653. publice habuit, quam intra vertentis anni ſpatium diſputatione de *Signis Doctrinalibus*, & altera oratione de *Fatali Literarum Periodo* ſubſecutus eſt, ut omnino nullus præterierit annus, niſi aliquo ſcientiæ auctæ documento & aſſiduitatis teſtimonio publico notabilis. At perorandi ſtudium, mutuo declamantium certamine, priſca conſvetudine

egregie cultum, nunc fere squalet, & neglectum jacet, non certe docentium culpa, quibus summa est voluptas egregiis studiosæ juventutis conatibus assurgere & velificari, sed discentium, declamandi exercitationem contemtim habentium, aut perverso judicio, aut illaudabili socordia & ignavia. At olim Disputationi præluit Oratio, & multi sæpius declamarunt, ut patet exemplo imitatione dignissimo Præsulis nostri Reverendissimi, qui dicendi splendidissimam artem a primis tirocinii annis in deliciis habuit, ejusque assiduo cultu tantam consecutus est verborum copiam, dicendi peritiam, & linguæ volubilitatem, hanc quidem naturæ liberalitate donatam, sed declamandi consvetudine aliisque exercitiis cum privatis tum publicis ita auctam, ut nusquam rerum, nusquam vocum inopia hæsitaverit, aut semel dictum pœnitentia revocare necesse fuerit. Sane commodius ipse imparatus, quam alius vel paratissimus dicere potuerat. Et quæ apte vel secus facta erant, sententiarum exquisitissimis concinnis vel commendare, vel salse pungere ac strigilare, cum effuso eorum, qui oris facundiam & leporem auscultaverant, plausu & approbatione luculenta. Disciplinis ceteris & huic oratoriæ facultati magna animi contentione & proficiendi cupiditate adjunxit studia Sacra, quæ jam linguarum peritia, & philosophicarum scientiarum locupletissimo feno-

re

re instructus felicissime tractare potuit, utens opera & consiliis summorum Theologorum ac Doctorum Laurentii Stigzelii, Caroli Lithmanni, Erici Odhelii & & Jordani Edenii, qui ut in juvene excellentem indolem & ingenium liberale, pulcerrimis literis politum observarunt, ita eum haud secus ac filium paterno favore & amore complexi sunt. Ita Theologis pariter ac Philosophis cognitus ac probatus Anno 57. omnia ad honores summos in philosophia consequendos examina, non solum absque repulsæ periculo, verum etiam summo cum omnium gaudio & applausu sustinuit, quæ experimenta, anno sequenti, disputatione graduali de *Institutione Literarum*, votis ad Deum pro optato successu pie nuncupatis, feliciter clausit. Ibant jam omnia in melius, cunctis ad juvenem ornandum amico fœdere conspirantibus. Nam idem mensis duplicavit BENZELIO Stipendium, & simul honores Notarii in Collegio Philosophorum illi attulit, quibus tamen dignus videri maluit, quam diu uti. Cœpit enim noster iter ad exteros meditari, quod sibi gloriosius & utilius esse perspexerat, sed & hoc consilium Incomparabilis Herois & Comitis Domini MAGNI GABRIELIS DELAGARDIE Regni & Academiæ Cancellarii Illustrissimi ac Celsissimi inopinata gratia, non tam mutavit, aut animo penitus excusit, quam differre alio tempore exsequendum hunc Nostrum coëgit.

Procraſtinati itineris cauſas, easque ſatis validas paucis verbis explicatas dabo. Erat, ut novimus omnes, multi etiam veſtrum experti eſtis, laudatus Heros literarum Patronus Maximus, inque eo faſtigio poſitus ut poſſet, ea in eruditos indulgentia, ut vellet erectis opitulari ingeniis, cum emergendi impedimento multiplici luctantibus. Quum itaque tantus Regni Senator, & hujus Athenei Muſageta BENZELIO, ex ſpeciminibus vulgatis at non vulgaribus per ſe commendato obtuliſſet filios Comites, ſangvinis neceſsitudine Regibus Auguſtiſsimis affines inſtituendos, ancipitem illi curam & cogitationem tam ſplendida & inexſpectata optio attulit, quam alius, nullo ſumto ad deliberandum ſpatio, exporrectis ulnis amplexurus fuiſſet. Sed ut erat Præſul noſter ingenio perſpicaci ac modeſto, & præterea indole ab aulico apparatu nonnihil alienato ac abhorrente, conditionem tam lautam ac honorificam nec recuſandam cenſuit, nec præcipiti gradu amplectendam, niſi re ſecum primum bene expenſa, & ad præceptorum ſibi bene cupientium maturum judicium & arbitrium quoque relata. Quum itaque Doctor Ericus Odhelius, Jordanus Edenius, & Johannes Schefferus, quos præ ceteris ſuſpexerat & impenſius coluerat, tam optatam conditionem congruentibus undique ſuffragiis minime negligendam ſuaſiſſent, vocationi paruit & anno 60 feſtivos Comites, Dominos

minos Gustavum Adolphum & Jacobum Augustum informandos suscepit, quos etiam Illustrissimi Parentes, ad hanc Academiam nulla interposita mora cum novo vitæ & studiorum moderatore mitti curaverant. Si ex aliis documentis nobis de eruditione BENZELII & morum qualitate nihil omnino constaret, vel exquisitissimum Cancellarii judicium ad existimationem præclarissimam, vel solum valeret, quod propter admirandam sapientiam, in deligendo, filiis ad tantam spem natis, idoneo vitæ & literarum magistro hallucinari minime potuit, præsertim cum errorem istum cum maximo alieno, sed domestico damno, & spei amplissimæ jactura & naufragio vix reparabili conjunctum fore prævidisset Docentium pariter ac discentium Ephorus & Censor longe gravissimus. Quanta autem fide & dexteritate hoc officio per tres integros annos functus est, probavit discipuli illustrissimi Gustavi Adolphi (alter enim comitum ictu recalcitrantis equi prostratus tristi & præpropero fato excessit) admiranda solertia, & Glorioſissimorum Parentum singularis benignitas, gratia ac munificentia, qua BENZELIVM in statione manentem, & ea resignata, abeuntem prosecuti sunt. Multis quidem solicitabatur ac lautis authoramentis, ut animum ad civiles curas applicaret, vel saltim institutionis tempus gratissima mora extenderet ac propagaret, sed solicitationum asfid ta-

te, & magnæ ſpei diluculis non potuit Præſul noſter a peregrinationis laudabili inſtituto retardari, vel manus, quod dici ſolet, ſlivæ admota, mutato vitæ genere, & ſcopo ſtudiorum deſerto, retrahi, præſertim cum viro modeſto, pio, gloriæ mundanæ illecebras faſtidienti, nunquam in mentem venerat magna munera ambitioſe ſectari, ſed oblata potius alteri occupanda cedere. Quam moderationem & continentiam ignorant hujus ſeculi homines, qui honeſtisne, an inhoneſtis artibus ac tentamentis, precene an pretio & licitationibus fordidis æmulum repellant ac vincant, & ſic ſpartam aliquam exambiant, haud magno in diſcrimine ponunt. Sed quos BENZELIVS honores obtinuit, non largitionibus, ſed virtutis, pietatis ac lucubrationis quæſtu liberaliſſimo mercatus eſt. Sed redeo unde digreſſus ſum. Hoc triennio, quo in aula Illuſtriſſimi Cancellarii verſabatur, honoribus in Philoſophia Supremis, nactus inter Candidatos numero quinque & viginti locum ſecundum, mactatus eſt. Ad lauream Apollinarem acceſſit Anno 62. Sparta cum auctoritate publice affigendi, & labores Profeſſorum docendo ſublevandi, quam ut hic Upſaliæ auctorum explicatione elegantiſſima, & ſcriptorum emendatione accurata præclare obiit, ita eandem in Holmenſi Gymnaſio, illuſtri oratione in laudes Comitum defunctorum, Dominorum Jacobi Auguſti & Johan-

Johannis Casimiri Delagardiorum, dicta ornavit, panegyris solemnia indicente & Proceres Regni, florem Equestris Ordinis, cunctosque literatos ad disertissimi Oratoris eloquia, invitante Doctore Erico Emporagrio Cleri Metropolitani Seniore gravissimo. Secuta inde est Disputatio de *Philosophia Vitæ Civili Servitura*, quam, Respondentis partes tuente Erico Oesterman, ipse Præses & colloquii moderator cumulatissima prudentiæ & eloquentiæ laude defendit. Quod ultimum ipsi fuit specimen ante iter in oras exteras susceptum, quod Anno 63. Cancellario Viaticum magnificum & in tempus peregrinationi destinatum abunde suffecturum porrigente, aggressus est. Vereor ut vestigia per præcipuas Europæ regiones ocyssime volantis, sermonis velocitate consequi possim, sequi tamen e longinquo conabor, cum passibus æquis certare non liceat. Postquam Illustrissimo Discipulo comitatur, patrias regiones, & in his potissimum Wesmanniam, & Dalecarliam, Subterraneis Plutonis inexhaustis divitiis notabilem, nec non Gestriciam & Roslagiam perlustrasset, modico sumto respirationis intervallo, protinus Holmia digressus per Sudermanniam, Gothiam australem, Smolandiam, Hallandiam, Scaniam & trajecto Bosphoro in Chersonesum Cimbricam totiusque Daniæ celeberrimum Emporium & metropolim, Haffniam perrexit, ubi aliquandiu moratus,

tus, tandem relicta Zelandia, ſuperatisque Balticis fretis, per Holſatiam, Hamburgum, maris Germanici & Albis oceſſum contendit, impellentibus itineris citandi rationibus, peragrato Lyneburgenſi Ducatu Helmſtadium Academia inclytum ſe contulit, ubi compellatis viris celeberrimis Titio, Conringio, Schradero, Majero, Hornejo juniore, aliisque, via regia per territorium Wolffenbuttnenſe, & Magdeburgenſem Diœceſin Brandeburgico Electori ſubditam, & Serveſtam, Wittenbergam, Cathedra Lutheri præ ceteris inſignem, properavit, ibique nonnihil cunctatus Calovii, Meiſneri, Quenſtedii & Strauchii doctrinam & humanitatem expertus eſt. Experturus & aliorum Lipſiam iter direxit multiplici nomine claram. Commendatur autem præcipue ex terſo uſu & nitido Lingvæ Germaniæ cultu, civium lautitia, ædium ſplendore, commerciorum rationibus, per totam fere Europam explicatis, Bibliopoliis & quod palmarium eſt, ex Academia illuſtri, & docentium pariter ac diſcentium copia & frequentia valde inſigni. Quocirca paulo diutius heic ſibi ſubſiſtendum putavit, Scherzero lares & Cereris commoda hoſpiti gratiſſimo liberaliter miniſtrante, Gejero autem Langio, Thomaſio, Alberto, & quotquot Sacras & Seculares artes profitentur, promta literarum miniſteria una offerentibus. Ivit deinde Dresdam Misniæ Metropolim & Electorali ſe-

de

de splendidam, mox ex Misnia per Freiburgum & Noviburgum in Thuringiam erupit, moram aliquam tribuens Academiæ ad Salam fluvium sitæ, quam illo ævo Gerhardus, Musæus, Chemnitius, Niemanus, Bosius aliique sua eruditione illustrarunt, & Advenam Præsulem nostrum honorifice habuerunt. Thuringiæ deliciis satiatus in Noricum pergens, Rempublicam Norimbergensem ultro citroque peragravit, celeberrimum quemque inque his præcipue Johannem Dilherrum, Danielem Wülferum & Altorfinæ Universitatis Doctores conveniens, quibuscum familiariter vixit, ac eruditos sermones miscuit. In Bavariam Inferiorem postea iter flexit, illectus comitiis Artobrigæ seu Ratisbonæ Anno 64. proscriptis, quo Imperator Leopoldus omnesque Germaniæ Electores, Proceres & Magnates frequentes convenerant, de Legionibus Turcicis Ungariam infestantibus communi eoque durabili exercitu submovendis deliberaturi. Quorum consessus, ut erat ex Germaniæ flore aggregatus, ita totius imperii majestatem velut in compendio intuentium oculis repræsentabat. Cum itaque hanc lectissimam coronam negotia imperii tractantem & interdum ritus Pontificios, solemnibus processionibus vel gesticulationibus potius peragentem vidisset, solidam ex illo spectaculo seria & recta adprobans, ludicra & superstitiosa damnans, voluptatem percepit. Ver-

nante anno Augustam Vindelicorum invisit & per Ulmam, ubi cum Elia Wejel sermones contulit, ad Academiam Würtenbergensem Adami Osiandri literis nobilem, Alsatiaque peragrata Argentoratum devenit, ac salutatis Summis Theologis Danhavero, Schmidio, Bebelio cum ceteris, Rheno vectus, perlustratisque civitatibus illi contiguis, Heidelbergam, postea a Gallis Palatinatum vexantibus solo æquatam, at illo tempore literis & aula Electorali florentem adivit, cumque ibi Comites Illustrissimos Gustavum Caroli Lindschöldii, at quanti viri, informatione gaudentem, & Wrangelium ac nonnullos alios Svecos literis sedulo operantes offendisset paulum quievit, mox tamen Rheni commoditate usus Moguntium petiit, & inde Mœni amœnitatem secutus Frankofurtum navigavit, ubi modico tempore, propter loci istius incredibilem opportunitatem, ac literarum commercia per totum fere orbem diffusa tantisper subsistendum statuit, ut tabernas librarias excuteret, eruditorum familiaritates colligeret, ac interea itineris rationes diligentius secum considereret. Quare, cum decretum ipsi esset Gallias invisere, per Divodurum, Verdunum, Claromontium ceterasque in Lotharingia ac alibi occurrentes celeberrimas urbes ac oppida, Lutetias Parisiorum contendit. Harum & vicinarum regionum degustatis deliciis, quas non lascivia & luxus, sed collegiorum & exercitio-

rum

rum frequentia, librorum lauta suppellex, & virorum eruditorum quotidianus congressus ac concertationes publicæ ac privatæ comparabant, proximum per Vellicassiorum clarissimam urbem Rothomagum ad oppidum Diepam, reciproco navium ex Gallia in Britanniam & vicissim commeantium trajectu nobilem iter suscepit, atque transmisso freto in Britanniam adscendit, quam ita pervestigavit, ut industriam nostri Præsulis, literarum ornamenta ac subsidia, quo locupletior domum rediret, solicite inquirentis nihil effugere posset. Æstivum otium hospiti commodabant Londinum & Oxfortium utrumque Academiis, Bibliothecis, eruditorum curis & laboribus sumtuosis ac splendidis clarissimum; hic Eduardo Pocockio, orientalium lingvarum peritissimo duce, & Edmundo Dickinsonio Delphos Phœnizantes typis parante familiariter usus est; illic Edmundi Castelli, Lexicon Polyglotton usui publico destinantis amicitia plane singulari gavisus est. Nec minorem interea posuit curam in cognoscenda religionum, a veritate propius vel longius aberrantium diversitate prodigiosa, quam Quakerorum lues, seculo superiori auxit, totamque insulam misere contaminavit. Æstate senescente Londino solvens in Belgium ejusque celeberrimum emporium Roterodamum concessit, ut fœderatarum provinciarum studia, mores & rationes propius contemplaretur.

Gro-

Gronovii autem, Golii, Coccei, Hornii & similium fama effectum est, ut eo in portu moras nectere sibi grave duxerit, unde Roterodamo Lugdunum Batavorum ocyssime vela pandens, numina illa ex scriptis quidem nota, sed non dum visa, coram veneratus est, non minores tamen ab illis comiter ac blande hospitem excipientibus gratiam ac honorem retulit, quam illis dedit. Amstelodamum & Hagam similiter perlustravit, sed breviori quam constituerat temporis spatio, cum glisscens in Batavia pestis, ac Hollandiam præ ceteris provinciis depopulata, Præsulem Nostrum solum vertere, & fuga sibi salutem quærere compulerit. Receptum dedit Germania & ante laudatum Franckofurtum, quo per Rheni compendia, superata æquoris sævientis injuria, placida navigatione pervenit, præter exspectationem occurrens Doctori Odhelio, qui morbo ex laborum Academicorum assiduitate contracto remedium in fontibus Emsæ & Wisbadi tepentibus quærebat, quo ut heic Upsaliæ præceptore benivolo, ita nunc consultore prudentissimo in moderando peregrinationis reliquo cursu uti voluit. Quum itaque BENZELII consilia secum communicata probasset, Gissam essedo provolavit, & Brumale otium lucubrationibus perpetuis & disputandi exercitiis tam privatis quam publicis, insigni cum emolumento, & exteris admirandæ eruditionis lucro contrivit.

trivit. Præside enim Haberkornio de *Vitando Syncretismo* ita disputavit, ut omnes Auditores lingvæ volubilitate, elegantia, rerumque explicatissima subtilitate in stuporem daret, cujus dissertationis memoria, me apud Hassos & Cattos degente, in ætate provectioribus conservata fuit, & dubio procul in monimentis publicis & Academiæ rationibus, quas habent accuratas, sancte conservabitur. Hoc specimine defunctus iterum se Franckofurtum ad Mœnum recepit, iter in Latium meditatus, quod tamen viatici retardato supplemento sufflaminatum est. Quare necessitati obtemperans, rebus ac sarcinis compositis domuitionem paravit, atque obliquato per Wetteraviam & Hassiam cursu Marpurgum petens, proclivi postea via per Cassellas Hanoveram & Zellam, Hamburgum, unde primum auspicato digressus est, jam exantlatis, ut putabat, finuosæ peregrinationis molestiis, salvus ac incolumis, ære quidem levior, sed experientiæ thesauris gravior ac locupletior felicissime rediit. Ubi præter opinionem viatici supplementum Francofurti frustra exspectatum, heic paratissimum invenit, a Patrono benignissimo liberaliter suppeditatum, qui literis BENZELIO svaserat, ut acceptam pecuniam in peregrinationis adhuc aliquot mensibus continuandæ quæstum conferret, & residuo compararet subsidia functioni Academiæ, quam tempus & merita offerrent, servitura.

Nihil

Nihil quidem optatius Præsuli nostro evenire poterat, sed hoc beneficium cum prolixæ gratiæ significatione, & qua vellet eundi optione conjunctum, Italicas curas aliquamdiu depositas ac abjectas instauravit. Arsit enim desiderio perveniendi ad ipsum Pontificiæ religionis cubile, centrum ac arcem Romam, ut superstitionis inde per totum orbem derivatæ scatebras ac fontem cominus spectaret, sed cum temporis, circuitionibus assiduis consumti ratio, viarum incommoda, itineris longinquitas, comitum solitudo, & alia, quæ oculis obversabantur impedimenta ac pericula, impetum animi sequi recusarent, anceps diu, momenta animo ultro citroque revolvens atque secum disceptans hæsit, donec in Battaviam obiter antea salutatam, & litterarum lautissimo apparatu abundantem sibi revertendum statueret, quod institutum laudabile statim persequi cœpit, viam per Diœcesin Bremensem carpens & continuans per Bremam, Oldenburgum, Emdam, Græningam, Lovanium, Franeckeram, Harlingam & Amstelodamum, donec Lugdunum ad Gronovium gratissimis ambagibus, ac diverticulis data opera quæsitis ac affectatis esset delatus, quem ut antea valde, ita nunc impensius propter exquisitissimam morum & literarum elegantiam coluit. Flexo deinde Roterodamum itinere in Belgium Hispanicum descendit, visens Dordracum Reformatorum Synodo,

& tum Franciſci Junii literis clarum, nec non Bredam, Antverpiam pluresque alias in Flandria ac Brabantia nobiles civitates, quas prolixitatis vitandæ cauſſa recenſere ſupersedemus. Fieri enim minime poteſt, ut veſtigia curioſi advenæ preſſo gradu imitari queamus. Scaldis inde fluvii, Flandriæ & Brabantiæ confinia ſtringentis adminiculo enatavit in Zelandiam & Hollandiam, qua repetitis vicibus perveſtigata, prona in Urbem Hamburgum & Lübekam ſemita peregrinationi Germanicæ exitus ſpiſſos ac productos reperivit. Portu Lübecenſi ſolvens ſecundiſſima navigatione in Patriam omnibus optatus, multis eruditionis ac experientiæ ornamentis cumulatus, poſt exactos in peregrinatione tam vaſta ac periculoſa duos annos rediit.

Ignoſcite mihi Auditores Honoratiſſimi. Ignoſcite inquam ilia ducenti, lacero & diſſipato ſermonis cultu per mare & terras raptato, ducisque velociſſimi veſtigia aliquandiu ſequenti, verba propter feſtinationem ex trivio temere arrepta incondito ac tumultuario ordine volventi, & nunc in veſtro favore cubile & reſpirationis otium, in quod me conjiciam, anhelo pectore quærenti. In quo enim itinere Præſul noſter biennium conſumſit, quod locorum vaſtiſſimis ſpatiis commode peragrandis vix ſuffecturum putabatur, id ego horulæ ſpatio oratione percurrere debui. Non itaque mirum,

rum, si alicubi offenderim, passim cespitaverim, ex vocibus tumultuarie obrepentibus habitum orationis consarcinaverim delicatis oculis fastidium ac stomacho nauseam procreantem, ut nunc nisi in festinatione ac inapparatione nullum veniæ diluculum prospiciam. Sed videbor fortasse ante tempus dimissionem petere, quum meum fuerit Præsulem in patriam reversum, non ignavorum satellitum ac apparitorum ritu destituere, sed jam sedatiori gressu ad honorum apicem euntem pedetentim comitari, morientem venerari, & ad tumulum deductum pia oratione licet agresti & incuka prosequi. Vidimus jam BENZELIVM bonorum omnium cum plausu ac gaudio redeuntem, sed non dum digno præmio mactatum, nam quam ante discessum obtinuit spartam, eam Vicario tantisper demandatam, sub reditus initium recuperavit. At annus sequens 65. illi geminas professiones dedit, aliquo tamen intervallo divisas; alteram Philosophicam in Historiis ac Philosophia morali; alteram Theologicam nullo certo genere limitatam, utramque extraordinariam cum ordinaria nulla vacaret: illam anno 66. fasces Academicos librante Illustrissimo Comite Gustavo Adolpho Delagardie solemni oratione adivit, ac semestri spatio summa cura & laude administravit, hanc utpote suo instituto conjunctiorem anno sequente, itetato inaugurationis ritu, capessivit, Rectore

Magi-

Magistro Petro Fontelio, quam prælectionibus publicis ac privatis, cunctis ad novum & facundum Doctorem audiendum avide concurrentibus auspicatus est. Cum autem muneri Academico Regiis literis addita esset Ecclesiæ Næsensis cura, ante introductionis solemnia in Auditorio Carolino peracta, per manuum impositionem & benedictionem consuetam ordini sacro initiatus est, Archiepiscopo Doctore Johanne Lenæo honores sacerdotales ipsi, perinde ac Mag. Martino Brunnero ac Mag. Martino Blockio, aulæ Regiæ concionatori, eiusdem ordinis consortibus distribuente. His densis beneficiorum & honorum frequentationibus Anno 68. auspicatissimo matrimonio ingens accessit cumulus. In manus enim Nostro convenerat Margareta Odhelia, virgo incunabulis Clarissima, virtute lectissima, forma facile princeps & prope dixerim incomparabilis, ut omnino natura videatur secum certasse ac experiri voluisse, quid omni applicata industria, ad voluptatem oculis comparandam in hac festiva virgine ac sponsa bellissima efficere posset, quod de dono fragili dixisse sufficiat, cum forma vel ætate consumatur, vel certe morbo defloreſcat.

Quum igitur cetera ornamenta nobis videantur, & re ipsa sint potiora, vobis haud ingratam vel nobis pigendam operam facturos existimamus, si his commemorandis vos au-

res, nos linguam licet sermocinando fessam commodaverimus, præsertim cum istorum omnium commemoratio Præsuli nostro dignitatem aliquam adspergere, certe felicitatis auctæ piam recordationem illi conciliare, & in nobis refricare videatur. Diximus Dominam Margaretam Odheliam Archiepiscopi Nostri conjugem carissimam natalium splendore fuisse præstantissimam. Coruscat enim meritis Patris Doctoris Erici Haquinii Odhelii, qui inter sui ævi Theologos accuratissimos magnum nomen indefesso labore consecutus est, amplissimos item honores: Nam heic Upsaliæ Theologiæ Professorem per annos bene multos egit, tanta cum suæ existimationis & laudis usura, ut nulli omnino cederet, vix paucos æquales haberet. Et ante fata destinatus erat primariæ inter Metropolitanas Ecclesiæ Pastor & Consistorii Præses; Nitet radiis matris Margaretæ Laureliæ matronæ nobilissimæ; Fulget splendore avi Doctoris Olai Laureli Episcopi Arosiensis; vibrat Proavi materni Doctoris Petri Kenicii Archiepiscopi memoria. Ad quæ sanguinis sancta ornamenta accedit ex vitrici, Doctoris Nicolai Rudbeckii Præsulis Arosiensis dignitate delibatum jubar. Nihil inquinatum, nihil sordidum, aut humile in ejus prosapia occurrit. Quum parentum avorum & proavorum fulgore illustris esset, illustrior tamen fuit propria eaque rarissima virtute, pietate in Deum,

obse-

obsequio erga parentes, amore & fide in maritum, cura in liberos, veneratione erga superiores, comitate in inferiores, prudentia in rei familiaris dispensatione; ut paucis multa comprehendam omnium virtutum & ornamentorum sui sexus cinnus, flos & compendium fuit. Ex hac lectissima Margarita sibi fœdere juncta suscepit Præsul noster liberos tredecim, quorum quatuor vivere desierunt, superstites seculum nostrum plerique re, ceteri omnes spe amplissima ornant. Filia Nobilissima natu maxima Margareta, quam honoris causa appello, & in qua imaginem matris, cum lineamentorum qualitate, tum virtutum consensu pulcre expressam suspicio ac veneror, quamvis hoc funesto casu gravissime perculsa, consistit tamen & mariti Gothoburgensis Episcopi Reverendissimi incolumitate aliisque fortunæ lautissimis præsidiis floret. Jubeat Deus hanc felicitatem illi esse diuturnam! Soror autem Nobilissima Christina, pari virtute ac pietate instructa, longe tamen diverso fungitur fato. Videbatur ejus fortuna optatissimam sororis conditionem æmulari, ac ad idem fastigium felicissime contendere, sed nunc duplicato cordis vulnere in solitudine & luctu, lacrymis ac squalore abjecta, viduata marito, orbata Patre jacet. Viduata, inquam, marito, Fratre meo dilectissimo, qui alienissimo tempore, florente ætate, surgente fortuna insulam Episcopa-

lem cum vita resignavit, & Conjugis optimæ, liberorum, & mea vota destituit, cui suspiriis & lacrimis, cum verbis non possem, jam fere anniculus parentaveram. Filios autem, quales genuerat Eminentissimus Præsul, omnes scimus, in quorum laudes descendere, & singulorum, in quod se cunque vitæ genus dederant, exquisitissima ornamenta prolixe commemorare præsentium verecundia, & temporis tantis elogiis minime suffecturi angustia prohibeor. Unum dixisse sufficiat, poma non procul a stipite cecidisse, & in numeroso ac festivo agmine nullum vel levissimo peccato ætati lubricæ alias familiari, a Parentum optimorum natura & splendore degenerasse, sed omnes velut conjuratione facta ad gloriam virtutis via grassari. Sed instituti ratio me revocat ab illustri familia ad laudes Reverendissimi Patris, qui anno seculi vertentis 68. ordinariam in Theologia professionem, Sacræ Regiæ Majestatis Clementissima voluntate decenti inauguratione suscepit. Doctorales autem honores sibi perinde ac Martino Brunnero, instante promotionis actu, oblatos modestissime recusavit. Et ut solent honores repudiati cumulatiori mensura redire, fugientem sequi, ambitiosius persequentem plerumque fugere, ita sine impendio eosdem Anno 75. consecutus est. Placuit enim Regi Augustissimo, consummatis coronationis solemnibus, lectissimos in Patria Theologos

logos partim Episcopali lituo illustres, partim aliis officiis conspicuos, omnes de Ecclesia & literis optime meritos splendidissimis Doctoris titulis, immunitatibus ac privilegiis ornare, inter quos locum suæ dignitati congruum Præsul noster obtinuit. Rex autem Clementissimus, non tantum sumtus magnifice suppeditavit, sed & Purpuratorum Illustrissimo agmine cinctus ac argyraspidarum splendida caterva stipatus solemnitati ipse interfuit, quæ gratia ad æternam hujus promotionis memoriam valebit. Interea Præsul noster professionem sibi datam, & deinde reliquas per ordinem successionis, ad se, labentibus annis, devolutas, ita curavit, ut administrationis laudes publice ac privatim docendo, disputando, opera hodiernæ & seræ ætati profutura elucubrando, consilia promte exhibendo comparatas, mea oratio capere & lingua digne deprædicare nequeat. Indulgeatis mihi, auditores mœstissimi, hanc gratiam, ut, quæ commode explicari nequeant, sicco pede transcendam, pio silentio involvam, & vobis altius expendenda ac considerauda relinquam. Quomodo enim horulæ spatio, quod mihi ad dicendum concessum est, consummatissimi Theologi curas per omnes Theologiæ partes didacticas, polemicas, exegeticas, homileticas, historicas, & quicquid doceri ac disci oportet, latissime exporrectas, ac a Nostro non obiter ac perfunctorie, sed nervose, accurate, subtiliter,

copioſe & admiranda ſermonis ac ſtili elegantia pertractatas comprehendam? Quamdiu enim quartum inter Theologos locum obtinuit, Locos Communes a Doctore Martino Brunero collega ſibi amicisſimo inchoatos, theſin confirmando & adverſa refellendo continuavit ac abſolvit; ad tertium progreſſus Prophetas Majores, Jeſaim, Jeremiam cum Threnis & Danielem expoſuit; ad ſecundum translatus, libros Hiſtoricos Vet. Teſtam. Joſuæ, Ruthæ, priorem & poſteriorem Paralipomenon, cum libris Samuelis & Regum ſcite collatos explanavit, addita Chronologiæ, nec non Chorographiæ & Genealogiæ luce, ſine qua Hiſtoria vel altero expuncto oculo luſca, vel evulſis utrisque cæca evadit. Hæc illi publice docenti curæ erant, at privatim per omnia Theologiæ compita juventutem duxit, nec quicquam tam clauſum erat, quod non reſeraret, nihil tam abſtruſum & occultum, quod non indagandi ſolertia inquireret, & repertum cum Auditoribus fidelisſime communicaret. Hæc gravisſima ſtudia verborum compendium ſpernunt, ac laciniosis orationis fimbriis explicari optant. Liceat nobis quoque veſtra pace tranſilire negotia cetera, a curis Academicis quidem ſequeſtrata, ſed tamen longe gravisſima, queis vel præfuit vel interfuit ex voluntate ac diſpenſatione Regis Clementisſimi, qui Præſulis noſtri prolixo judicio, ac experta prudentia ad

exa-

examinandas causas ac dirimendas heic in patria, ut & in provinciis emergentes arduas controversias, nec non ad constitutiones Ecclesiasticas melius instaurandas uti voluit. Si enim hoc saxum volvere cœpero, idem mihi eventurum prævideo, quod Sisipho evenire fabulantur Poetæ: Qui versat - - *Saxum nitendo, nec proficit hilum.* Si enim dicere occepero de sævientis Satanæ præstigiis ac tentationibus ex Norvegia in Patriam nostram carissimam translatis, quibus imbecillis ac lubrica ætas potissimum, adultior etiam misere, cum multo parentum gemitu & suspiriis vexata fuit, & de inquisitoribus in hanc rem comparatis, inter quos Noster judicandi peritia & dexteritate multos antecelluit; si de Oeselanis contentionibus, de Bendelii Stargardensis controversiis, de mota inter Scarenses quæstione de Resurectione Christi, *sitne meritoria salutis? an Redemtionis, passione ac morte Christi dissolutæ gloriosa exsecutrix tantum?* de Stettinensis Cleri cum Superintendente Generali concertationibus, & aliis geminis, in quibus cognoscendis ac componendis Præsul noster cum aliis glorioſe desudavit, non perspicio, quemadmodum exitum inveniet oratio. Quare tutius nos facturos arbitramur, si his vitatis scopulis & Labyrinthis ad honores ex istis curis pulcre efflorescentes referamus. Id enim explorata in tot casibus extricandis industria ac dexteritate

lucratus est, ut sæpiuscule ad vacuas sedes Episcopales, & bis ad hanc Cathedram Archiepiscopalem morte prædecessorum hiantem, honorifica suffragiorum copia depoſceretur. Calculis ad Regis arbitrium relatis, non discursare per aulas, Procerum gradus pallio verrere, eosque precibus fatigare cœpit, sed Stationi suæ affixus, animo ad utrumque eventum parato arbitrium DEI, cui se totum commiserat, & Regis sententiam pie exspectabat. Tandem anno 87. concordi totius Cleri Stregnesensis suffragio in Episcopi Domini Doctoris Caroli Lithmanni, annis ac meritis gravissimi, tunc pie defuncti locum electus est, quam Electionem Rex Clementissimus, frustra tergiversante BENZELIO, & alii potius quam sibi illam splendidam spartam conferri optante, ratam habuit, ac Regio diplomate, prolixæ clementiæ deliciis ac condimentis referto, confirmavit. Tanto itaque majori fiducia & alacritate munus hoc amplissimum capessere & administrare potuit, quanto securior erat de vocatione plane ad voluntatem Christi, institutionem Apostolorum, Canonum præscriptionem, & antiquissimæ Ecclesiæ consvetudinem expedita. Rite itaque ab Archiepiscopo Eminentissimo Domino Doctore Olavo Svebelio consecratus, ivit in vineam Christi, suæ curæ ac custodiæ destinatam, quam ita per tredecim annos coluit, ut explicatissimam Diœ-

cesin

cesin Reverendissimo Successori traderet, atque sui desiderium ac amorem tenerrimum apud omnes, cum immortali meritorum suorum memoria discedens relinqueret. Commodis anni temporibus Ecclesias obivit, vitiosa emendavit, recta confirmavit, rationes docendi a ministris, discendi a ceteris strenuo examine, & tamen lenitate paterna temperato exegit. Nullum avaritiæ vestigium in tota ejus vita occurrit. Nam quum nihil indignius ferri soleat, quam vitæ rationem ab alio deposcere eum, qui suæ reddere nequeat, vitæ integritate, abstinentia, pietate, Sanctimonia cunctos anteibat, ut sine metu redarguentis conscientiæ, libere potuerit a regula aberrantes objurgare, & omnes ad sui imitationem cum Paulo excitare: *Estote mei imitatores sicut ego Christi.* Nec tamen extrariis hæc difficillima statio vacabat negotiis, placuit enim Regi Clementissimo, Principis hæreditarii, nunc Regis nostri Augustissimi institutionem in Theologia, quam biennio antequam Episcopatum adiret, auspicatus est, ipsi in decem prorogare annos, & præterea curare, ut editio Bibliorum nova ad Originalis lingvæ fidem emendata quam nitidissime prodiret. Utroque officio sane sanctissimo ita perfunctus est, ut Rex clementissimus, cum aliis præmiis tum Archiepiscopali dignitate & Magnificentissimo Pro-Cancellarii honore, post fata Svebelii, eum remunerandum

dum putaverit. Ex quo intelligimus Regem Augustissimum, nec non Proceres Regios, una cum eruditissimo quovis, rectius de opere tam difficili, cui Præsul noster cum immortali nominis sui gloria sapienter moderatus est, longe rectius judicare, quam alios quosdam inexpertos & audaculos Criticos, qui metaphrases ab Hæreticis extrusas, vitiis scatentes, erroribusque palliandis accommodatas dilaudant, vernaculam autem suggillare, & ubique fere spongia critica contaminare non erubescunt. Hos similes dixeris iis, qui ad stadium Olympiacum veniunt, & intra carceres otiosi narrant, quomodo Ladas, aut Bojuscus Sicyonius olim cursitarint, ipsi autem currendi aleam superciliose detrectant. Facile est aliorum præclara facinora reprehendere, strigilare ac carpere verbis, at eorum industriam ipso opere imitari difficile. Nec tamen crediderim quemquam eo impudentiæ venturum, ut negare ausit hanc a Præsule Reverendissimo procuratam versionem innumeris locis altera castigatiorem esse, licet aliqua supersint, in quibus ætas futura industriam exerceat. Et sane nulla hactenus adspexit, nec, ut opinor, unquam adspiciet versio lucem, in qua nihil omnino desiderari possit, idque singulari fieri putamus DEI providentia, qua Linguis Sanctis suam præstantiam constare, & scrutandi assiduitatem doctoribus commendatissimam haberi voluit. Sed videmus nos indigna-

dignatione abreptos longius ab instituto discessisse, & petram quod dici solet sulcasse, siquidem Momi invisa proles non magis increpationibus, quam Marpesia cautes vomere miteſcere solet. Quare Præsulem Nostrum pressiori gradu post hac insequemur, quem ut Deus eximiis naturæ, fortunæ ac gratiæ ornamentis cumulavit, ita etiam crucis nota ceu Christianorum solenni tessera signavit, hoc est calamitatibus variis exercuit & probavit. Nam ad alia incommoda, quæ stationis, specie splendidæ at re ærumnosæ conditio secum vexit, conjugis tenerrime amatæ morbus, & tandem Anno 93. ultima rerum linea mors accesserat. Potestis facile suspicari nihil gravius accidere potuisse Præsuli, quam videre conjugem lectissimam diuturno morbo, frustra adhibitis remediorum experimentis macerari ac affligi, & tandem e sinu ac complexu suo divelli. Sed hunc casum tristissimum, perinde ac alios quoscunque, ut decuit exercitum Christi discipulum, patienter tulit, & datis luctui duobus annis, de damno hoc resarciendo, ac clade novo matrimonio reparanda cogitare cœpit. Neque enim Domus illustris alio pacto restaurari, ac ab incommodis ex orbitate & solitudine diuturna emergentibus vindicari posse videbatur. Quocirca nullo præter Deum adhibito nuptiarum conciliatore ac auspice, eo nomine compellat ANNAM MACKEI, genere, virtute, forma, fama & denique

nique opulentia nobilisſimam, &, ut laudum compendium faciam, MARGRETAE ODHELIAE ſimillimam, iisdemque prorſus artibus & diſciplinis domeſticis imbutam, cujus impetrato proclivi conſenſu, ſtipulatione mutua, & nuptiali apparatu ſolemni, fœdus Anno 95. conſummarunt. Senſit Eminentisſimus Præſul cum novo matrimonio nova gaudia, nova item fortunæ ad apicem enitentis incrementa. Rex enim Auguſtisſimus meritis ac annis ingraveſcentem Epiſcopum Stregneſenſem, informatorem olim ſuum fidelisſimum, in locum Archiepiſcopi & Pro-Cancellarii Domini Doctoris Olai Svebelii, circa hujus Seculi initia ſurrogavit, maximo cum Cleri & hujus Academiæ Pro-Cancellario orbatæ, & incerta hactenus ſpe fluctuantis gaudio & plauſu. Neque enim Diœceſi ac huic Muſarum Paleſtræ Illuſtrisſimæ melior & exercitatior antiſtes, quamcunque in partem circumſpicerent & cogitationes verſarent, obvenire umquam potuiſſet. Heic enim rationum Academicarum peritiam per annos duos ac viginti, quibus profeſſorem egit; Stregneſiæ autem regendæ Diœceſeos artem per annos tredecim ſibi comparavit, in utroque Scientiarum genere excellentisſimus, at in hoc poſteriori incomparabilis. Sed tanti Viri gratia & prudentia nobis ultra octo, & quod pauxillum redundat, annos frui denegatum fuit. Florem enim juventutis Academicæ lucubrationes delibarunt,

barunt, virile robur Episcopales & aliæ multiplicatæ curæ fregerunt, reliquum ætatis gravissimum Archiepiscopale munus cum annexis laboribus exhausit. Hæc incommoda auxit inopinata mors Conjugis lectissimæ, quæ superstes senectutis tædia blando alloquio & complexu detergere, ciborum illecebris, deliciis & appetitus ciendi irritamentis plusculis, quæ industria muliebris concinnare solet, aliisque vitæ propagandæ fomentis frigidæ senectuti accommodatis, recreare potuisset. Sed hæc solatia ac compendia Parcarum implacabilis triga Seni sancto, ærumnis debilitato, vigiliis confecto & jam alterum in cymba Charontis pedem habenti subtraxit. Hanc jacturam proinde secutum est piæ emigrationis, supra ejus vota retardatæ, ardentissimum desiderium, quod neque in novissima Synodo dissimulavit, dum cycnea oratione Clero valedicturus ingeminasset verba Simeonis: *Dimitte servum tuum, Domine, in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum*, & Pauli: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Videor mihi nunc intueri vultum sancti Senis, Ecclesiæ statum facundo ore miserantis, & Clerum gravissima oratione adhortantis, ut Satanæ furore correpti fraudes, excusso securitatis veterno, diligentissime caverent, nec novitatum illecebris, doloso pietatis nomine delibutis se inescari ac falli paterentur; tempora enim ultima, in quæ nos Deus reservaverat,

vitiis

vitiis a divo Paulo indigitatis scatere, omniumque malorum & errorum sentinam secum vehere, quam sine peritis ducibus simplex & innoxia Christianorum turba nec animadvertere, nedum vitare valeat. Hæc beati Patris gravissima concio mihi aculeos & stimulos infixit alta mente repostos. Nec ullum affuisse arbitror, quem non sacer invaserat horror, præsertim cum finem vitæ sibi instare, nec illud sacrum pulpitum a se amplius scandi fati præsagus haud obscure indicasset Reverendissimus Præsul, quod veridicum vaticinium tristitiam exaggeravit, totamque concionem mœrore defixam, tacitis suspiriis & lacrymis implevit. Mihi certe præcordia dolore æstuabant, fissuras Zionis consideranti, quas divini vatis laterum oppositu, auctoritate & insomni vigilantia, ne in vineam Christi clanculum irreperent callidæ vulpes, obstrui cernebam, ejus autem obitu vel patescere vel laxari verebar. O me miserum fato tanti præceptoris & doctoris superstitem! ad quem numquam accesseram, nisi doctior redirem; numquam conveneram, nisi damna Josephi lugentem, & illis sarciendis consilia accuratissima parantem, ut paucis me expediam, nocte, dieque de salute Ecclesiæ in summum discrimen adductæ cogitantem, & quæ divino zelo accensus Regum Maximus ad exterminandam novatricem licentiam pie, prudenter, iuste sanxierat, sedulitate indefessa exsequentem.

Huic

Huic operi vivus incubuit, huic studio immortuus est. Erat alioqui Eminentissimus Præsul valetudine constanti ac firma, quam inter Herculeos labores frugali victu & continenti affectuum moderatione tuebatur, sed tamen novissimis annis articulari morbo ultro citroque commeante, & nunc pedes nunc manus vicissim infestante, vexari cœptus est, quem aliquandiu membris immorantem, medicamentis domesticis & fasciis exulare per intervalla coëgit. Sed teterrima hyems retulit morbum, diuturna familiaritate facile admissum, & vehementius deinde grassantem, ad quem accessit febricula & levior tussis, contra quas aliquamdiu, adhibitis idoneis remediis, prospero successu & sæpe cum medicorum eluctandi spe conjuncto dimicavit. Postremo tamen morbus, frigoris ingravescentis sævitia armatior insurgens vicerat sanctum Senem; qui sacra cœna refectus piis præcibus & suspiriis XVII. Febr. in Christo placidissime obiit, ingensque sui desiderium nobis omnibus reliquit. Discessit itaque Præsul noster tempore nobis licet alieno, sibi tamen optatissimo. Occurrebat enim animo sancti Senis satietas honorum, quos consecutus est supremos, &, quod rarum est, sine ulla commendatione majorum; satietas annorum, parum enim ab octogesimo abfuit; satietas gloriæ, ad quam nihil omnino in terris accedere posse videbatur. Quid enim a tanto Viro geri aut exspecta-

ſpectari poterat, quod non ipſe cum immortali nominis ſui gloria geſſit & exſecutus eſt. Nec læta reipublicæ facies vitæ propagandæ deſiderium alere ac inſtaurare potuit: triſtior enim vix eſſe poteſt. Quum itaque nihil vota abeundi retardaret, expletis ſummi Doctoris, Præſulis, literarum ſtatoris & herois verendi numeris lætus, felix, ovans ad cælum migravit. Ubi jam Angelorum & ſanctorum hominum agmini immixtus, ineffabili gloria & voluptate perfruitur, DEOque laudes canit ſempiternas. Nos autem orbati Patre & Antiſtite optimo, in ærumnoſo hujus vitæ ſalo adhuc fluctuamus, eaque extimeſcimus incommoda, quæ in alto, inter ſyrtes ac ſcopulos natantes experiri ſolent. DEO tamen Duce ac gubernatore certo confidimus, nos ad eundem portum, quem Tu, Eminentiſſime Pater, felix obtines, ſuperatis omnibus ærumnis ac calamitatibus, incolumes perventuros. Interea tamen orbitatem noſtram lugemus, & cum Eliſa ſupino vultu & protenſis ad cœlum palmis flebili voce querimur *Patrem noſtrum, currum Iſraëlis & aurigam ejus* nobis alieniſſimo tempore ereptum eſſe.

PLANXI.

)(o)(

Num. II.

OFFICIVM PARENTALE

PRAESTITVM

VIRO IN VIVIS PLVRIMVM REVERENDO,

NVNC IN COELIS BEATO

DOCT. MARTINO BRVNNERO,

PROFESSORI THEOLOG. IN ACADEMIA VPSALIENSI CELEBERRIMO

AB

ERICO BENZELIO

S. THEOL. DOCT. ET EIVSDEM FACVLT. PROF. ORDIN.

POSTRIDIE EXEQVIARVM

HOC EST

XXX. SEPTEMBRIS AN. M DC LXXIX.

IN AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI.

RECTOR ACADEMIÆ UPSALIENSIS

OLAVUS RUDBECK

LECTORIBVS BENEVOLIS

SALVTEM PLVRIMAM.

VItam cæleſtem quoniam rudis & terrenis negotiis adhuc immerſus animus noſter non capit, in eo maxime allaborarunt pii & ſingulari Spiritus S. gratia afflati homines, ut per ea, quæ Nobis alias ſumme grata, amabilia aut commoda videntur, rem tam ſublimem & a captu noſtro remotam, cogitationibus noſtris, quocumque demum modo attingere poſſemus. Alii forte aliis rebus, cum quibus iſti eam conferre amaverunt, delectabuntur, Nobis præ reliquis omnibus ſemper illa *æternæ & incomprehenſibilis* appellatio arriſit *Lucis.* Quid, obſecro, Luce potius aut excellentius erit, cum Deum ipſum *in luce habitare* 1. Tim. 1. 16. imo, & *Lucem eſſe* 1. Ioh. 1. 5. audiamus? Ad hanc vero lucem, utpote inacceſſam, a nemine noſtrum viſam, ſed nec, quamdiu in hac mundi fœce hæremus, videndam, per

per Lucis alterius, nobisque non paulo familiarioris diligentem considerationem, sancti Doctores nos deducendos esse censuerunt. Nec immerito: Lucis enim fontem si respexerimus, in cœlo erit, cum quo quidquid usquam magnum, sublime, splendidum & cum majestate conjunctum excogitari potest, in animos nostros confestim incurret. Sin ad incolas Cœli vertendus animus, omnia sancta, tranquilla & glorioſa obvenient. Adeo igitur omnibus in universum hominibus hæc vitæ cælestis cum Luce comparatio semper placuit, ut eos quoque, qui nulla peculiari Spiritus S. suggestione ad tales cogitationes delati fuerunt, nihilominus futuram hominum ex hac vita exeuntium felicitatem, cum insignis ac perpetuæ cujusdam Lucis fruitione conjungere non piguerit. Quorsum enim illa camporum Elysiorum plurima gratissimaque luce scatentium celebritas & commendatio? oportuit sane horum inventores, forte fortuna an vero urgente consilio impulsuque divino ad ea loca, ubi lucem in his terris maxime perpetuam habere dabatur, deductos primum quidem illius amænitate capi, deinde ob suam probitatem, justitiam, concordiam

cæterasque virtutes ita omnibus admirationi esse, ut quandoquidem per infixam plerorumque pectoribus de animorum humanorum immortalitate sententiam & persuasionem firmissimam, aliquis defunctis locus assignandus erat, Campos Elysios quam quidvis aliud, etiam apud inferos comminisci mallent; omnia se tum adeptos arbitrati, si loca veris Elysiis respondentia invenire, & studia factaque cum horum incolis communia post mortem habere possent. De singulis uberius solidiusque disputaturi nunc essemus, si temporis aut instituti ratio pateretur: hæc autem quæ prolata sunt, facile elicuit viri in luce media nati, in luce educati, ad lucem aliis, quibus Eruditio, Virtus & Pietas cordi fuerunt, præferendam facti, & denique ad æternam illam incomprehensibilemque lucem felicissime nunc translati, Viri, inquam, Plurimum Reuerendi & Amplissimi, DN. MARTINI BRVNNERI S. Theol. Doct. & in Acad. Upsal. Professoris Regii atque ordinarii, ut & Pastoris Dannemarkensis memoria, nemini quidem nostrum non ante, per merita ac virtutem ejus, satis superque commendata, nunc tamen pro recepta hujus loci consuetu-

ſuetudine, a nobis denuo inculcanda. Nempe patria illi Sueonia, natalis vero locus eſt Hermänger in Campis Elſingicis, quos omnium veterum Scriptorum ſententia & opinione veros atque ipſiſſimos Elyſios eſſe, ea lege & conditione in nos recipimus, ut ſalva tantorum virorum fide, auctoritate & unanimi ſuffragatione, nusquam in toto orbe reperire licet alios, quantumcunque huic negotio ſiue obliuio longo temporum tractu veterum inſtitutis obducta; ſive livor in exterorum, imo non paucorum ex eis, qui clariſſimæ Hyperboreorum genti originem ſuam invi[illegible], ac pene dixerim ingrati debent, animis exortus; ſive denique turpis & inſcitus apud nonnullos cives noſtros rerum domeſticarum contemptus, vel malevolus nulloque bono Zelo inſtitutus in priſtini earum nitoris inſtauratores impetus & obtrectatio repugnent. Patrem habuit virum Venerabilem, DN. OLAVVM BRVNNIVM ER. F. Geſtricium, qui eum ex caſtiſſima matrona BRIGITTA NIVRENIA P. F. anno reparatæ ſalutis humanæ M. DC. XXVII. die 27. m. Sept. quinquennio fere ante ſuam ex hac vita migrationem ſuſcepit, & mox debito modo Chriſtianorum

cœtui initiandum curavit. Septennis factus Scholam Suderhamnensem, alterove sexennio elapso Upsalensem adiit, & in ea annum moratus unum, inde sese ad Gymnasium Stregnesiense contulit. Anno M. DC. XLV. ad Academiam Upsalensem perrexit, Rectore Pl. Reverendo Amplissimoque Viro Dn. LAVRENTIO STIGZELIO, quem hic noster ut strenuum sedulumque, ad omnem honestatem vitæque rectitudinem, monitorem suum semper laudare solitus fuit. Anno M. DC. L. operam suam aliis, inprimis honestissimis adolescentibus, Viri Spectabilis Dn. SEBASTIANI POPPELMANNI civis Gevaliensis filiis commodare cæpit; annoque insequenti, Facultati Philosophicæ examinandum sese sistens, suam illi in cunctis Philosophiæ partibus industriam rite & cum singulari omnium applausu notam fecit. Anno M. DC. LII. die 27. mensis Martii Disputatione publica & solenni, jus honorum Philosophicorum sibi asseruit, atque ut animo illius Studiorum Theologicorum dignitas & præstantia semper obversabatur, ita anno sequenti die 16. m. Junii, superiori doctrinæ suæ specimini novum adjecit, nempe defensionem adeo prom-

promptam & eruditam Disputationis de Conciliis, quam eo tempore Pl. Reverendus Amplissimusque Vir Dn. LAVRENTIVS STIGZELIVS S. Theol. Doct. & Professor officii ratione adornauerat. Anno M. DC LV. die 25. m. Septembr. honorum Philosophorum Solemnia, promotore Viro Pl. Reverendo & Clarissimo M. OLAVO VNONIO Metaph. & Log. Prof. Regio & Ordinario, primo inter XXI. Philosophiæ Candidatos loco adeptus est; a quo tempore per annum unum alterumve vacasse eum studiosæ juventuti, informatione privatim instituta, accepimus, donec anno M. DC. LVII. m. Majo ad exteros concederet: Unde circa anni insequentis finem reversus, ad linguæ Græcæ professionem ordinariam in hac nostra Musarum palæstra, admotus est. His tum curis, consilium de commodo & honesto matrimonio addidit, cujus eventum, inito cum Lectissima virgine ELSA POPPELMANNA thalami fœdere, anno M DC LX. die 17. m. Iunii, sortitus est longe felicissimum. Interque alia conjugii hujus commoda, filium ex conjuge sua unum, filias quinque suscepit, quarum duæ jam pridem fatis defunctæ sunt, reliquos vero omnes

una cum matre vidua, patri superstites & mœrore tantum non conficiendos relictos cernimus. Anno M. DC. LXVI. m. Octobri, suffragante Senatu Academico, Sacra Regia Majestas, S. Theologiæ professorem ordinarium designauit hunc Nostrum, qui susceptis tum primum a Reverendissimo in Christo patre Dn. IOANNE LENAEO S. Th. D. & Upsalensi Archiepiscopo ordinibus sacris, anno demum M. DC LXVII. die 25. m. Iunii, relicto priori munere, S. Theologiam, magno cum Ecclesiæ & omnium illi studiorum generi vacantium bono, profiteri cæpit; cujus quidem mutationis solennia, ipsa Sacra Regia Majestas gratiosa præsentia sua cohonestavit. Anno M. DC. LXVIII. die 13. m. Maji, ad superiora illa commoda, pastoralis apud Berienses nostros dignitas accesit, quam post biennium munere pastorio Dannemarkensi commutavit. Ter illum Holmenses Ecclesiæ, frequentissimis suffragiis ad sese, ut ut euentu, ob intervenientes causas, irrito, vocaverunt. Anno M. DC. LXXV. Coronationis suæ solemnia insigni aliquo clementiæ documento clausurus Serenissimus ac Potentiss. Rex Sveoniæ. CAROLVS XI. Domi-

Dominus noster clementissimus, inter alios nonnullos Ecclesiæ Antistites, eruditione & pietate clarissimos, etiam hunc Nostrum S. Theologiæ Doctorem esse jussit. Eodem anno, cum miro quodam patriæ nostræ fato miseram plebeculam adeo urgerent exercerentque impostoræ Satanicæ, omnem non modo civium inter se amorem & benevolentiam, sed etiam puerorum erga senes, servorum erga dominos matronasque, imo, liberorum erga parentes reverentiam omnem convellentes, resque eo spectaret, ut vero calumniis permisto, non majori in periculo Rei, quam ipsi judices versarentur, quodam de re magica scripto accuratissimo, tenebras illas discutere hic Noster adgressus est. Reliqua illius partim edita, partim in Musæo adhuc delitescentia monimenta nunc non enumerabimus, sed sicuti ille vivendo sensim ad exitum properavit, ita nos scribendi nunc faciemus finem. Anno igitur vertente, die 14. m. Augusti acuta febri correptus, & viribus corporis fere omnibus protinus spoliatus, ad animi robur, quod numquam eum fefellerat, in hoc certamine ipse sibi recurrendum esse duxit, cumque hoste tam atroci per integrum

octiduum & quod excedit, præliatus non modo aculeos illius omnes, sumpto IESV CHRISTI meritorum scuto, fortiter excepit, sed etiam adversarium ipsum, Fidei, spei, & sacræ Synaxeos telis, atque adeo omni reliquo, quod in tali casu expediri solet, instrumento arrepto, cum valde tenui & exiguo damno suo prostrauit, confregit, disjecit. Interim diffiteri non possumus, hanc victoriam Ejus, quantumvis insignem & gloriosam, Nobis ob viri memoriam, merita & desiderium, jure & funestam & multis querelis dignam videri. In solatii igitur parte non exigua futurum erit, si vestram, Lectores benevoli, cras hora VIII. ad templum Dannemarkense, ubi pulverem, quem hic noster ἀγωνιστὴς totus in cælum translatus, post se reliquit, colligere & dignis modis contumulare aggredientur, quorum interest, frequentiam bene magnam atque numerosam ostenderitis. Valete. Scrib. Upsalæ die 28. m. Septemb. M. DC. LXXIX.

Primo

* * *

PRima, & si fata propitia siverint, ultima vice parentationis officio, eoque necessario magis quam desiderabili defuncturus, in conspectum vestrum venerabilem prodeo, Auditores optimi; cum non tantum insolita dicendi provincia, sed & loci, in quem conscendi, veneratio aliqua novo me metu percellit. Sunt hæc pulpita, ex quibus olim sonuere, & multa cum gratia exceptæ sunt voces summorum sapientiæ Antistitum; sed quæ recentissimis temporibus collustrata sunt singularis ingenii dexteritate judiciique profunditate Viri, de quo dicturus sum, antehac Celeberrimi Clarissimique, nunc in cœlis beati, MARTINI BRVNNERI, S. Theolog. Doctoris & Professoris in Regia hac bonarum artium palæstra, utriusque Consistorii Adsessoris, Facultatis Theologiæ Decani, & Pastoris in Dannmarck; cujus eruditioni variæ conjuncta facundia & in dicendo vis multiplicia in hoc loco sui reliquere vestigia, quæ consummatum artis hujus magistrum sibi hac occasione potius deposcerent, quam tenuitatem meam, quæ ab his talibus institutis magis se profitetur alienam. Religio mihi esset bonitatem ac patientiam amplissimi frequentissimique hujus conceſſus fatigare, nisi hanc provinciam mihi injungere videretur; arctior cum beate defuncto necessitudo, & quia deprehensum est, quod dum alii alios privatis votis ac desideriis

desti-

destinamus his parentationum officiis, fraudentur aliquando Viri præclare de Ecclesia ac Academia meriti memoria funebri, quæ antiquissimorum populorum, Veteris Ecclesiæ Christianæ, & recentiorum temporum consvetudine iis debetur. Virtutis ac gloriæ Theatrum, quod vivus sibi exstruxit MARTINVS BRVNNERVS, sterili commendatione mea non indiget. Ex combustorum corporum rogis prodiisse aquilam, quæ mortuos æternitati consecraret, a Romanis scriptoribus proditum est. BRVNNERVM vel sola ingenii ac eruditionis fama vindicabit. Hic ipse locus, qui præsentiam ejus desiderat, diffusæ ac solidæ eruditionis ejus memoriam conservabit. Id tamen requirunt Virî merita, ut oratione posthuma tanquam ultimo justorum exequialium actu repetatur tanti Doctoris commendatio; ut cathedra hæc Academica, quæ amissum Professorem etiam externo habitu luget, aliqua hujus præceptoris recordatione resonet. Ut ostendatur, subductum esse Brunnerum usibus societatis hujus, non item piæ veneration. Frequens vero hæc clarissimorum hominum concio, quam audiendi caussa convenisse video, summopere mihi roganda est, ut quæ deprehendit in beati hujus Doctoris vita exstare virtutum exempla, strenue potius sibi sequenda ac imitanda proponat, quam ad censuram dicentis animum convertat. Tantum abest quo minus orationis digni-

dignitas exquisita in hoc officii genere exspectari debeat, ut potius eorum consvetudo imitanda videatur, qui in magnorum virorum funeribus arma & clypeos invertere & obvolvere solent. Cum lugentibus verba ferme non nisi fracta & tertiata miscent, & pressos dolore animos potius gemitu & suspiriis quam verborum adparatu testantur. Et quomodo in parentali hoc officio occupari quispiam possit, nisi mœrens & dolens, non sane perspicio. Equidem habet omnis ferme societas ejus ordinis homines, qui in aliorum funeribus suas numerant palmas, qui æquis animis videre possunt omnia subversa, dummodo ipsimet erecti stare valeant; sed hi tales infra indignationis aut censuræ dignitatem ponendi videntur, cum idola mentium suarum potius quam publica commoda in consilio habeant. Præsens qui vertitur annus, quamcunque Patriæ & Ecclesiæ allaturus est sortem, magnorum sane & de societate hac literaria optime meritorum virorum obitu lugubris est, & calamitosus. Vix semestre elapsum est, & quinque Patrum Academicorum funera elata vidimus. Fuere ex his aliqui, quos vel ingravescens ætas, vel alia corporis ac valetudinis incommoda urgere visa sunt, & fatalis termini legem scribere. Sed quia horum vires ferme exhausere continuati, & publico usui consecrati labores, grata illorum etiam exstare debet memoria. Et erunt

forte

forte tempora cum constare incipiet senum umbras plus publico potuisse prodesse, quam vasta & inania quæ alii circumferunt corpora. De Brunnerianæ industriæ diuturniori usu optima polliceri videbantur ætas adhuc vegeta, & corporis vires, licet non adeo firmæ, diligenti tamen sollicitudine ac circumspectione fomentatæ. In partes spei illius ventura credebatur cœlestis bonitas, quæ patriæ commodis non denegatura iudicabatur virum conservandæ augendæque bonarum literarum gloriæ natum ac destinatum, quique inter pauciſſimos numerari posset, qui bella Domini, necessitate id requirente, depugnare non reformidant. Sed nostrum non est in cœlestis curiæ decreta operose inquirere. Fecit sicut sibi placuit, cui nihil injuste placet. Licebit tamen vetus illud Gregorii ingeminare: *malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant festine subtrahantur.* Digna Catone Censorio est sententiæ, neminem, quantumvis bonum & eximium civem publicis laudibus esse prosequendum, nisi cognitum esset, rempublicam ex vita illius insignem percepisse fructum, a qua non abludit altera cultissimæ gentis cautio, ne splendidioris funerationis alii redderentur participes, quam qui maximam vitæ partem virtutis studio & præclaris facinoribus impendissent. In adferenda huic nostro similis commendationis gloria, non opus est adscititia & peregrina in subsidium

sidium vocare. Habet affatim in se ipso unde vera ac solida deducantur elogia. Indigni operis institutum censeri non debet, quod ortus primordia ac ætatum incunabula considerentur, ex quibus secuturæ magnitudinis præsagia & præludia cum successu sæpe formantur. Hic tamen verbo indicasse sufficiet vidisse MARTINVM BRVNNERVM primum mundi lucem anno seculi hujus 17. & die mensis hujus 17. Et contigisse illi patriam, inclytam Helsingiam, Parentes ex ordine sacerdotali pios ac honoratos, ingenium felix, frontem serenam, membrorum compagem venustate decoram, & si qui sunt alii sponsores ac nuntii secuturæ felicitatis & magnorum negotiorum interpretes. De cetero ne tædium pariat ingrata solum repetitio eorum, quæ hesterna, eaque iterata vitæ recensio copiose explicuit; operæ precium in Cathedra hac Academica me facturum arbitror, si ex vitæ Brunnerianæ curriculo aliqua consideranda exhibuero, quæ indicabunt fuisse eum exemplar primo sollicite discentis, postea cum dexteritate docentis. Nam quia vtrique ordini ratione plus simplici vivus præluxit, non est permittendum, ut nomen tam inclytum & publico profuturis exemplis adprime fœcundum una cum corporis exuviis oblivioni involvatur. Non suppetunt nobis ea, quæ quotidie dicamus, nisi animos nostros doctrina excoluerit. Discere enim tenemur ea, quæ alios docea-

doceamus, & ab aliis accipere, quæ aliis tradadamus. Ἰδιωγνώμονες & αὐτοδίδακτοι, quos exhibet vetustior aut recentior historia, pauciores sunt, quam ut regulam faciant, & ferme sibi potius sapiunt, quam aliis, vel vana æstimatione sui abripiuntur prius, quam ad sapientiæ adytæ iis penetrare concessum est. Opinionum animo semel conceptarum nimis sunt tenaces, & multarum absurditatum evadunt duces ac antesignani. Ne igitur hunc nostrum otiosa æstimatione contemplemur, docet is discendi cupidos, quomodo annos suos justæ informationi mature tradere debent.

Vix quartum ingressus est annum cum ingenii rudimenta deponeret occupatissimus infans Brunnerus in evolvendis imaginibus & picturis, quas vel sancta Biblia, vel alii codices obvii submiuistrarunt, a quibus non nisi invitus avellebatur. Solertiæ illius semina, excitando vivacia, temperando luxuriantia decenter fovit moris & candoris antiqui observans, parens optimus Olaus Erici Brunnerus, Hermangerensium in Helsingia fidelis pastor; sed qui præmaturo, beato tamen excessu chariſſimum sibi filium Martinum nondum quinquennium reliquit orphanum. Non intermisit vero honestissima Matrona mater Brigitta Niurenia, domestica licet calamitate adflicta, quidquam eorum, quæ alendæ in filio indoli servitura judicavit. Post informationis domesticæ tyrocinia, anno

ætatis

ætatis septimo publico Söderhamensium pædagogio, inde Scholæ Triviali Upsalienſium, tandemque Stregnenſium Gymnaſio commendadatur, quibus bonarum artium officinis, eorumque moderatoribus indefeſſis, de tam ſedulo alumno gratulabantur, ac etiamnum ſe gratitudinem debituros profitentur omnes boni. Si qui ſunt, qui hæc ſtudiorum incunabula non ſatis digna judicabunt amplitudine loci hujus & eruditorum auribus, juventæ moderatorem ſummum, ac conſummatum Fabium audiant, quod ſua eſſe debeat ſtudiis infantia, quod corporum fortiſſimorum educatio a lacte & cunis initium ducat, & quod quidam membrorum flexus non niſi in tenera ætate formari poſſint. Non igitur contemnenda ſunt ut parva, ſine quibus magna conſtare nequeunt. Primæ ætates negligenter habitæ, ſequentes omnes inemendabilibus perfundunt vitiis. Non leve momentum ad ſolidam Brunneri eruditionem id contuliſſe credendum eſt, quod plus quam decennium conſumpſerit in ſcholarum & Gymnaſiorum ſubſelliis, nec immatura ſtudia in ſocietatem Academicam protruſerit. Ut qui purpuram cobibi volunt, lanam prius medicamentis ſufficiunt: ſi pectora ſolidiori ſapientia imbuenda, eruditionis parandæ ſubſidiis ſeriis & certis præparari volunt. Sua igitur non minus quam aliorum experientia edoctus Brunnerus, ſtrenuus poſtea non monitor tantum,

sed & exactor exstitit, ne patriæ juventus in ætatis ac studiorum lubrico adhuc constituta inferiorum Scholarum & Gymnasiorum claustra perrumperet, & nondum jactis Trivialium studiorum fundamentis ad Academicam sive libertatem, sive licentiam pleno impetu anhelaret, inopi ac sterili doctrina in publicum prosiliret, inanis persvasionis graves pœnas lueret, ac inertiam suam, & salubrium consiliorum contemptum redimere necesse haberet multiplici confusione, ac pudore non tantum, sed & damno in universam vitam, quin & patriam, ac Ecclesiam redundaturo.

Anno seculi hujus 45. h. e. ætatis demum 18. in numerum civium Academicorum receptus noster, non id egit, ut splendido studiosorum titulo ad insanas discursationes, horridos boatus, vel inania crepitacula abuteretur; sed more proficientium simile quid fami & siti sentiebat, quoties a studiis avellebatur. Aestuabat desiderio cognoscendi abstrusa & recondita, & hunc expertus est fructum collocatorum in scholis & Gymnasiis laborum, strenuus hic bonarum artium alumnus, ut Academicis jam studiis maturus, non amplius in Trivialibus hærere necesse haberet, sed a summorum in patria Doctorum ac Professorum ore cum emolumento pendere posset. Ferebatur in lectionem optimorum veteris ævi scriptorum, Græcorum non minus quam Latino-

rum,

rum, in quibus quantum profecerit, loquuntur, quæ in utraque lingva ad posteritatem transmisit monumenta. Etiam in literatura Ebraica supra vulgarem modum profecit. Philosophiam adamavit & excoluit veterem illam, solidam & constantem, quæ non solum serviret juvenilibus desideriis, sed & ætati magis adultæ ac inprimis generi vitæ, quod meditabatur. Artium Mathematicarum cognitione plus quam superficiaria instruxit animum. Verbo dicam, apud hunc solidioris sapientiæ candidatum φιλομαθίαν ἰδολυμαθίαν peperit. Ut autem animo perturbatione aliqua capto vel laboribus fesso blandimenta conciliaret, subinde consvevit ad artis musicæ, non solum Instrumentalis, sed & Vocalis exercitia divertere. In quo studiorum genere tantum profecit, ut censor & arbiter sedere posset inter musicam virilem ac castam, itemque lascivam, garrulam & ineptam, in quam deprehendit aliquando commutari robustam illam, ac devotam, non sine publico morum ac avitæ in gente nostra constantiæ dedecore.

Anno inde 1655. i. e. post exactum demum in societate hac Academia decennium, BRVNNERVS Philosophica laurea est ornatus, cui tamen præluxerant longe antea Exercitia honoribus illis præmitti solita. Didicit, opinor, quorundam animos præmaturis honoribus ad superbam æstimationem sui abripi, vel sola Pa-

tronorum gratia subvectos spes suas anticipare. Ipse non temere judicavit, se incrementa sua sibi debere, idque præmium retulit sollicitæ diligentiæ, ac modestiæ suæ, ut inter lectissimos juvenes 21. primo cohonestaretur loco. Honoribus vero illis postquam auctus est, contentiori quam antea studio partam eruditionem locupletavit. Alienus ab illorum moribus, qui cum titulos sint consecuti, studiorum ac propopositi sui terminos se attigisse jactitant, indeque in omne nefas ruunt. Cum inde moneret ætatis ratio, ut sanctioribus studiis plenius se addiceret, quæ hactenus animo magis in varia distracto delibarat, quia secularium disciplinarum famulitio optime instructus ad opus accessit, cum successu de adeundis studii Theologici adytis & rimandis scripturarum recessibus sibi promittere potuit. In hominum sunt memoria felicia illa profundæ in Theologia eruditionis specimina, quæ respondendo & opponendo etiam in illa ætate reliquit Noster, non sine magno illustrium etiam personarum & summorum hospitum favore ac adplausu. Toto illo tempore, quod in hoc discentium ordine transegit, singularem animi sui rectitudinem, vitæque integritatem societatis huius Patribus, omnibusque bonis adprobavit, quasi in consilio haberet gravissimi scriptoris monitum: Si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio vivendi

vendi honeste, quam vel optione discendi videretur. Non distulit honestioris vitæ institutum in annos ministerii publici, more dissolutorum juvenum, qui prætextu liberioris vitæ quidvis sibi in hac ætate indulgendum putant. Brunnerus veram libertatem in eo sitam judicabat, ut legibus convenienter, & ut moribus præluceret, qui eruditione haberetur potior. Docuit exemplo suo literatæ juventutis præcipuam esse prudentiam alios arbitrari esse se eruditiores, seque discere, moneri & ad honesta quævis duci debere. Non igitur mirum est, fuisse hunc Nostrum Patribus & Præceptoribus eximie charum, & inter præcipua societatis Academicæ nomina reputatum, cui auctores exstiterunt ad audenda majora, quam quibus hactenus se parem esse judicabat. Nam ut publico est exitiosum, mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extollere, quo ipso luxariant & evanescunt vivida ingenia: ita utile est quorundam ingeniorum vim decentis gloriæ stimulis incitare, ne justos sibique debitos honores contemnere, & sordibus immorari adsvescant. Supererat ut Brunnero ad eruditionis culmen contendenti de peregrinatione cogitandum esset, eaque maturo consilio suscepta, & quæ clarum deceret virum; Non vero desultoria, vaga & erronea illa, qua non pauci instar oberrantis Ulyssis terrarum spatia emetiuntur, ut opes effundant,

& deliciis expleant animum. Nihil Brunnero commune esse debuit cum illa discursatione, quæ peregrinam Circen, impuros amores, mellita pocula, & hujus ordinis saginam corporis venatur; Vel cum erroribus illis, quibus sufficit vidisse exstructas in superbam altitudinem urbes, mœnia, turres, castella, injectos fluminibus pontes, aliaque miranda, sive naturæ sive artis opera, ad quæ si accesserint capacissima vini feræ Germaniæ dolia, Judæ proditoris lucerna, per quam his talibus inclarescit Gallia, & quæ alia Romanæ pietatis consarcinata figmenta passim se conspicienda offerunt, egregie se partibus suis defunctos judicant; Etiam cum id unum strenue agunt, ut sumptuose nihil agant, quin &, quod deterius est, plaustra vitiorum, & nil decimo nisi dedecus anno in Patriam & ad penates referant. Peregrinator Noster patriam relinquere debuit, ut rediret variæ eruditionis & experientiæ suppellectili instructior, quam redux in Patriæ sinum deponeret, ad decus & ornamentum conferret. Sumptibus faciendis ut par esse posset Divina bonitas provisum voluit per generosum Juvenem quendam, cujus studia & ætas nondum tenorem suum nacta Brunneri pietate, moderatione & constantia regi debebant. Difficile dictu quam arduum sit ac periculosum providere, ne illustria capita, quæ ad virtutis cultum & Patriæ præsidium formari debent, seculi vitiis,

tiis, & pravorum consortiis abrepta in omne nefas ruant; & factarum apud exteros impensarum præmia non reportent alia, quam fraudes, versutias, vestium deformes formas, & quod maxime abominandum, corporum quin & animorum monstrosos habitus. Divino auxilio nixus id effecit Noster, ut cum Commilitone fidei suæ concredito rediret doctior & melior. Visitarunt Germaniæ inferioris & superioris loca magis inclyta, quæ quidem adiri poterant illo rerum statu, cum circulos quosdam infestarent gravissimi motus bellici, qui subito ex Polonia & Dania irrupere in Germaniam, quosdam vero vexaret intensior morborum contagies. Ad superiora Germaniæ loca delatis gratum aliquamdiu hospitium præbuit primo Heidelberga, inde Argentoratum, in quibus optimarum artium palæstris, unus exercitiis Equestribus, alter studiis lingvarum & Theologiæ sedulo litavit; secundo postea Rheno vecti, & visitatis in tractu illo nobilissimis Germaniæ urbibus in Belgium veniunt fœderatum, cujus postquam admirati essent faciem, potentiam, opes, ac inprimis eruditionis monumenta, transmisso Oceano Angliam petunt, & præter celebrati nominis loca alia, orbis Britannici compendium Londinum, & sapientiæ emporium Oxonium lustrant. Lustrasse dico, non more Plautinæ mulieris, quæ ingenue professa est, se urbis speciem vidisse, homi-

num mores perſpexiſſe parum, ſed ea diligentia, quæ Brunnerum decuit, & pectus omnigena inſtruere valuit prudentia. Hæc itinerum B. Brunneri ad exteros, non niſi ſummatim comprehenſa eſt recenſio, cujus præcipua pars ſilentio nunc involvitur, prudens ſcilicet ac circumſpecta converſatio cum eruditis, ſtatuum in Politiis & eccleſiis conſideratio, morum, inſtitutorum ac rituum æſtimatio, diligens inquiſitio in fortunam ac fata ſtudiorum apud diverſas gentes, quæ in moribus, vita & victu imitauda vel vitanda. Et quod in felici peregrinatione cum ab omnibus bonarum artium tum inprimis Theologiæ alumnis ſuſcepta præcipuum habet momentum, quæ diligentia & cautio circa variarum in exteris religionum exercitia adhiberi debeat, ne illi, qui Patriam reliquere in orthodoxa religione etiam calidi, redeant vel tepidi, vel prorſus frigidi. Qualium frigida & inconcocta de religione judicia, ex hoc etiam fonte profecta, an experiatur Svecia noſtra, prudentes rerum æſtimatores dijudicent. Sed peregrinationis religioſæ conſideratio aliud tempus ſibi depoſcit. Me vero tacente intelligitis, Auditores, id ſollicite egiſſe Brunnerum, ne hæreticorum ſtrophis circumveniretur, ne converſatio cum peregrinæ religioni addictis ſibi crimini eſſet, ne occaſiones daret, per quas vocaretur in ſuſpicionem pura ac incontaminata, quam profeſſus eſt, religio.

Rediit

Rediit post consumptum in peregrinatione ferme bienium cum multiplici studiorum ac honestatis fruge. Rediit quasi ex mercatu bonarum artium, ut patria ac in ea literarum gloria ex ejus opibus incrementa caperet. Gratulabatur sibi de Patria Brunnerus, & de Brunnero patria. Quæ abeuntem inter faustas adprecationes dimisit, redeuntem cum gratulatione excepit. Eruditionis parandæ subsidia, quæ in hunc alumnum suum contulit, jure suo, quin & cum fœnore quodam reposcere potuit. Nec exspectatione sua est fraudata. Recepit Virum ut pietate insignem & eruditione solidum, sic &, ingenio constantem, qui se virtutis studiosum & bono proposito nixum immotum esse debere didicit. Est sane hominis prudenter quadrati officium pro exigentia circumstantiarum tempora temporibus temperare; non tamen permutare audebit quadrata rotundis, in quo mirum est, quantum sibi indulgeant homines ventosi, & artium seculi architecti. Quos vero fructus reliquerit illa ingenii Brunneriani constantia in administratione publicorum munerum, documento non uno postea est declaratum, cum constaret eum ut in consultando fuisse lentum ac providum, sic in statuendo & exequendo stabilem & firmum.

Hactenus vero discentium ordini, qui in Academiis inprimis plurium imitationi expositus est, pronum fuit intelligere, Brunneri ve-

stigiis insistere debere eos, qui feliciter se exsolvent debito, quo Deo, Patriæ, Parentibus, Præceptoribus, omnibusque bonis obstricti tenentur. Eximia scilicet ingenii dona a Deo & naturæ benignitate concessa, inde a teneris excitanda & fovenda esse ad pietatem, laborem, honestatem & modestiam, doctrinam & studia per gradus & incrementa ad propositam metam ex rectæ intentionis debito promovenda. Cavendum ne tumultuaria studiorum tractatio & mobilis transitus, quo delectantur mercurialia ingenia, speratum fructum remoretur. Magnam temporis requiri parsimoniam, ne id ipsum sibi vendicet vel indiligentia & turpe otium, vel vana curiositas, helluandi libido, effrenis licentia, legum conculcatio, protervia, luxus, inficetiæ aliaque fallacia & brevia oblectamenta, quæ paucarum horarum hilarem insaniam longi temporis tædio pensare apta sunt. Amicitiam cum minime inquinatis colendam esse, & conversationi domi ac foris caute, pie & prudenter instituendæ tanto magis studendum, quanto certioribus constat documentis, sumi a conversantibus mores, & malos virus suum in convictores transfundere. Sed tempus est, ut Brunnerum Docentem contemplemur. Quamvis ante susceptum ad exteros iter, per diversa in varia literatura collegia Juventuti huic Academicæ egregiam suam operam commodaret.

Cum

Cum properante ad finem anno 1658. in patriam reversus secretius quoddam vitæ genus meditari visus est, perspicaces quidam ingeniorum æstimatores, renitente licet aliorum invidia, cum manu quasi prehensum in ea locarunt sede, unde Patriæ juventutis informationi commodissime prodesse possit. Debuit vicissim non nisi per gradus consequi fastigium, cui eum destinere visa est Divina providentia. Demandata est Brunnero primum Græcarum literarum professio in alma hac universitate Regia, cujus muneris partes omni dexteritate est exsecutus. Non idem est eruditione præditum esse, & donis hermeneuticis ornatum. Suam & aliorum mentem rite explicare, methodi facilitatem adhibere sermonis perspicuitate, alios instruere, & discentium captui ac usui se accommodare, singularis est & nova quædam eruditionis gloria. In utraque excelluit Noster; Quæ cum adcuratione didicit, non fine successu cum aliis communicavit. Judice D. Bernhardo in Homiliis super Canticum Canticorum, & comprobante experientia: Sunt qui scire volunt, ut sciant, & curiositas est: sunt qui ut sciantur, & vanitas est: sunt qui ut vendant, & turpis est quæstus: sunt qui ut ædificent, & caritas est: sunt qui ut ædificentur & prudentia est. Perhibeant Beato Brunnero testimonium lectissimi juvenes, qui illo Doctore usi sunt, quem ex memoratis finibus sibi propositum habuerit,

buerit, & opere ipso sit secutus. Optimos artium Magistros & Professores scientissimos antiquitas judicavit eos, qui propria studia verecunde, aliena prudenter & sapienter æstimarent. Artis illius gloriam sibi jure vindicat Noster. In paranda solidiore sapientia profanas novitates exesse jusit, quæ ad inania ducerent, ad fastum & arrogantiam armarent, Divinis oraculis fasces submittere detrectarent, & mantelum esse possent audaciæ pro introducendis novis in ecclesiam dogmatibus, ac deprædandis a fidei simplicitate incautis. Illuc dirigibantur consilia ejus, ut communi omnium disciplinarum vinculo sua constaret necessitudo, canæ antiquitati reverentia aliqua; sanctioribus litteris sua fides & integritas servaretur. Ut autem animalia, quæ in peregrino degunt elemento, diuturnam ibi moram ferre nequeunt, sic Brunnero curæ cordique fuit arctior cum studiis Theologicis conjunctio. Et votorum compos redditur, cum anno 1667. die 25. Junii, in præsentia Regis nostri Clementissimi, Professionem Theologicam sibi per multorum desideria & plerorumque suffragia destinatam capesseret, ac successor daretur desideratissimo Jordani Edenio, dignus qui tanti Doctoris jacturam sarciret. Qua fide, diligentia, dexteritate ac profunditate per annos circiter duodecim tractarit & explanarit pertinentia ad Theologiam didacticam, Elenchticam, Exegeticam,

&

& artis hermenevticæ subsidia, vicissim eorum esto judicii, qui eruditissimæ Doctoris huius informationi attentas præbuere aures. Non est quod requirit quispiam, ut lectiones Brunnerianas frequentissimum auditorium & magnus juventutis confluxus semper commendaret. Vetus est illa querela, quod culinæ frequentia hominum celebres sint, quodque tibicines, ludiones & hujus ordinis agyrtæ in magno concursu agant, ubi vero ad eruditionem & honestatem formari debent homines, pauci sedeant. Pluris faciendi sunt pauci & boni, qui ingenia adferunt attenta, & Academicæ informationis capacia, quam si agminatim confluunt, qui nihil præter inania nomina promittere possunt, vel penes quos, quæ intrant, simul exeunt.

Qui profunde eruditum se in cathedris Academicis demonstravit, non minorem se exhibuit in habendis ad populum concionibus. Excelluit in oratoria sacra, & aliis Theologiæ asceticæ partibus. Concionatorem egit gravem, solidum, Zelo scientia contemperato succensum, prodiit cum magna sacrorum eloquiorum svada, non tamen in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus & potentiæ. Nihil detulit affectati sermonis adparatui, & conquisitis peregrinarum lingvarum floseulis, cum quibus multis volupe est ludere, non aliter quam cum puerilibus crepundiis. Et

stre-

ſtrenue ſe ſacro officio functos putant, cum aures delicatos titillant, ſummasque auriculas feriunt, quæ in his ferme ſolæ ſedent arbitri. Dictionis vero vernaculæ ſtudioſiſſimus fuit noſter, & ſtrenuus monitor, ut ſordes ſermonis abluere diſcerent, cum alii, tum inprimis ſacri ordinis candidati, temporum differentias ſollicite attenderent & a ſolœcis & barbaris deſveſcerent. Non ſolum verborum proprietati ac perſpicuitati, ſed & epithetorum nervoſitati operam navavit ſedulam, & ut ſermo inter concionandum ſcripturis condiretur; Acceſſere rerum ſublimium pondera, earumve contextus ac ſeries concatenata argumentorum. Quibus omnibus capiebantur audientium animi, ut vererentur, ne deſineret. Commendavit ſe illa docendi & dicendi virtus ſummis in patria eccleſiis, & inprimis metropolitanæ, ut iteratis vocationibus hunc ſibi expeterent Paſtorem & Præſulem. Quod votorum ſuorum compotes factæ non ſint, illius rei cauſſas quærant alii in aliis ſeculi artibus. Tutius erit in his revereri cœleſtis curiæ conſilia, quibus placuiſſe credimus, ut eruditioni in Brunnero conjunctum ingenii acumen non unius vel alterius eccleſiæ ſed patriæ univerſæ, quin & orbis Chriſtiani ac eruditi uſibus ſerviret. Ut in inclyto hoc Regni Athenæo patriam juventutem exempli rectitudine & ſolida eruditione imbueret; ut in primaria hac eccleſiarum ſede de ea-

earundem publica salute & commodis optime mereri posset. Et paucis illis annumeraretur, qui non tam propria opinione, quam aliorum maturo judicio pares censeri possent subeundis gravissimis in Ecclesia laboribus. Et inventi sunt non adeo pauci, qui non ita pridem, non subdole confictis artibus, sed incorrupta quadam suffragiorum libertate huic Nostro detulerunt summos sacri ordinis honores, sed a quibus se declaravit alienum, non tam virium diffidentia, quæ & illa laudem mereri posset, sed profundiori quadam muneris illius æstimatione & modestia. Honores Doctorales dudum promeritos non tantum non ambiebat, sed & semel iterumque etiam cum imperio oblatos recusabat. Quærant qui volent in his statuum rationes & arcanorum scientiam sibi vindicent, mihi sufficit id æstimare tanquam modestiæ ejus auctoramentum, quod Sereniſſimæ Regiæ Majestati clementissime placuit in tempus Augustæ coronationis suæ indicere solennem promotionis Doctoralis actum, Regia præsentia, Regiisque sumtibus honestandum. Fuit gratia illa Brunnero communis cum aliis, sed cujus partem non sane minimam sibi vendicabat Brunneri existimatio. Plerosque vero eorum, in quos conferebatur Regia illa bonitas, serio deprecatos fuisse honores illos scire possunt, qui vera amant. Quemadmodum vero pro indignis merito censeri possunt, quotquot fun-

ctioribus magnis se ingerunt & obtrudunt, & magnificis saltem titulis profitentur sapientiam: sic recte consvetudini ac legibus obtemperant, qui ducuntur ad titulos non festinata petendi temeritate, sed consilio & usu publico. Insuper quia per summa saltem laudum Brunnerianarum capita eundum est, non intactum relinqui debet, qualem se in consultationibus & judiciis gesserit, in quantum occupationes illas in Professorio hoc stadio decurrentibus, injungit muneris ratio. Ut societates in universum omnes non diutius retinent statum beatum, quam sanis & constantibus reguntur consiliis, sine quibus partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habet, ita multum interest, ut judiciis ac Consistoriis Ecclesiasticis, pariter & Academicis suum constet officium, honor & verecundia, cujus repagula cum perrumpere audet effrenis quædam licentia, vel paucorum dominandi libido, magnam malorum lernam secum trahit. Quantum in his officii sui partibus valuerit Brunnerus, loquuntur judicia non solum ordinaria, quibus plurium annorum decursu adfuit, sæpe etiam præfuit, sed & extraordinaria, super caussis ac negotiis gravissimis & maxime intricatis, quin & multiplici invidiæ ac obtrectationi expositis. In quarum tractatione rectum iter tenere vix potuit alius, quam qui similis ingenii fiducia armatus pericula ac odia juxta æstimaret, & recte

cte ac ex conscientia faciendo neminem metueret. Sed & non paucorum animis sententia, intra angulos, nescio quos nata, sed late propagata, interpolata & aucta, quod hominum ecclesiasticorum consilia plerumque inconsulta esse solent. Multis etiam nauseam quin & bilem movent decreta, quæ gens togata, quasi ex cathedra condere audet. Scandalo iis est Theologorum censura, quorum pectora non finxere Athenæ; Sed salubria monita non scandalizant nisi mentem malam. Et videndum non quis, sed quid quisque dicat. Omnibus Christianis communis esse debet virtus, ut in infirmitute sua glorientur, etiam circa negotiorum civilium & forensium actus. Ingeniorum acumina & reconditas dotes non alii cum successu æstimare ac detegere valent, quam quos magnis & eximiis donis bearunt Deus & natura, quarum prærogativarum gloriam lubens aliis concedo. Id tamen pro comperto habeo, potuisse Brunnerum in consultationibus & dicendis sententiis solvere intricata, amoliri obstantia, interpretari ambigua, detegere callida, vertere animum in diversa, quin & latius aliquando cogitationes suas extendere, quam vel ipsemet verbis proditum vellet, vel alii assequerentur. De cetero ut asperitate non temere exulcerandos judicavit hominum animos, ita nec submissione ad insolentiam armandos. Quemadmodum ingenii est minus ad societa-

tes nati leves ob cauſſas communionis vincula rumpere, ſic hominis eſt pedarii raptim in quamvis ſententiam currere, & ſilentio vel conniventia ſæpe innocentis cauſſæ deſertorem agere. Requiruntur Eccleſiarum præfecti aliquando tales, qui aliis potius ſint invidiæ quam commiſerationi; qui non in rebus omnibus cunctis obſequantur; qui ob recti ſtudium hominum offenſionem incurrere non reformident, qui vitiis non adulentur, veternis & impetigini non parcant, licet talia alimenta digerere non valeant, quibus corruptus adeo eſt ventriculus, ut ſalutaria omnia averſentur. Meruit & illud in partibus laudum Brunnerianarum non ſane minimis numerari, fuiſſe eum diſciplinæ publicæ, quantum in ſe eſſet, cuſtodem diligentiſſimum iisdem paſſibus ambulare diſciplinam juventutis & incolumitatem publicam, longa viciſſim experientia comprobatum reliquit. Patriæ commodis debentur civium omnium ſtudia, vita et mores, qui cum a ſingulis negliguntur, neceſſe eſt univerſorum ſalutem periclitari. Nec aliud ſequi neceſſe eſt, cum fervida juventus trahere conatur parentum ſuorum dignitatem & opes, ad morum licentiam, ſuperbam ſui æſtimationem, & laborum neglectum, judicans Academias haberi debere pro otii & laſciciæ porticibus. Sollicite ab illa parte ſtetit noſter, ut Diſciplinæ publicæ rigor intenderetur in diſſolutos, ſcurriles novi-

tios

tiorum vexationes tollerentur, legibus & judiciis honor ac reverentia ſervaretur. Non dubitavit ullus tangere, etiam cum alii labra morderent. Et ſuccedent, vereor, tempora, quæ deſiderabunt Zelum ejus in refrænanda morum licentia, quæ deprehendent in quæſtionibus de vita & moribus, non minus æquitatem & juſtitiam, lenitatem ſedere debere judicem. Erunt forte, qui reponere non dubitabunt, eum diligentia illa & adcuratione ſua parum profuiſſe. Sed non ideo permittendum eſt, ut propoſiti rectitudo commentdatione ſua fraudetur. Querelam ſuper eo movet etiam Divinorum eloquiorum interpres, quod in vacuum laboraverit, & in vanum fortitudinem ſuam conſumpſerit, quamvis opus, in quo occupabatur, a Domino Deo illi commendatum eſſet. Sunt multi, qui ſordibus ſuis inhærere malunt, quam aliorum monitis corrigi. Carbonariis non abſimiles, qui licet fuligine ſint aſperſi, carbonarii tamen appellari nolunt: quin & ſuccenſent iis, qui appellant. Sunt & alia, quæ in ſocietatibus noſtris diſciplinæ vim laxant & enervant, idque efficiunt ut ſalubria inſtituta in irritum cadere neceſſe habeant. Sed ſuper ſedeo hac occaſione etiam illa memorare, quia conſultius eſt publice neſciri ea, quæ ut publico proſint, in paucorum notitiam pervenire deberent. Fuit Brunnerus non ſui tantum, ſed & alien penſi exactor ſtrenuus, quem non piguit ex

improviso invisere eos, qui magno numero ephoriæ ejus fuere concrediti. Quos in opere deprehensos consilio & manuductione juvit, promovit: desidiæ deditos severe urgere non destitit, ut obsequiorum Deo, Patriæ, Parentibus, Præceptoribus, quin & legibus debitorum non immemores essent, ne Numinis vindictam sibi accelerarent.

Supervacaneum esse abitror vestram, Auditores, fatigare patientiam enumeratione variorum officiorum, quæ vel in societate nostra sunt ambulatoria; ac in orbem redeuntia, vel ex peculiari temporum habitu Brunnero injuncta, in quorum omnium administratione ejus eluxit fides, sedulitas & vigilantia. Qui vero in publico tot argumentis commendationem sui reliquit, de ejus privata vita & conversatione domestica, non nisi optima quævis præsumi debent. Est sane sapientum quorundam ea conditio, ut gravitatem singularem in publico declarent, in privato jaceant victi & prostrati. Defuit non paucis potius ars qua domum, quam qua civem regerent, quos foris celebres domestica contaminavit infamia. Brunnero domesticum fuit virtutibus fulgere & Ecclesiæ non solum ac societatibus publicis aliis, sed & domui suæ cum laude præesse. Indulsit illi Divina bonitas conjugem pietatis & honestatis, omniumque matronalium virtutum laude inclitam, quæ marito huic, quem literæ sibi vendi-

vendicarunt, non solum esse posset levamento & adjumento, sed & par sustinendis domesticis curis & oneribus. In quibus si quando mariti subsidiariam requirert operam, is se non tetricum & acerbum, sed communium laborum consortem declaravit. Exhibuit se, ut typum fidelium omnium, ita & domesticorum suorum in verbo, conversatione, dilectione, spiritu, fide & castitate. Ipse attendens lectioni & aliis prælucens exhortatione & doctrina. Concessit illi naturæ bonitas etiam hoc beneficium, vt in familiari consvetudine, jucundis lepidisque sermonibus se & alios oblectare posset. Fluebant ex ore ejus insontes joci, leporibusque admisti sales, quibus jam ex instituto magis, jam aliud quasi agendo erudiret. Omnia hæc juncta eruditioni ac nominis celebritati, effecere, ut domus Brunneri plurium familiarum & nationum esset quoddam quasi oraculum, & singularia dona ejus agnoscerent non tantum capite censi & assidui, sed & summarum dignitatum viri, quorum gratiæ decenter velificabatur, & in id laborabat, ut officiorum promptitudine de singulis bene mereri posset, etiam sæpe usque ad lassitudinem, & cum insigni temporis jactura. Auditæ sunt non raro querelæ ejus, quod non solum literarum commercia, sed & frequentiores salutationes & sollicitationes bonas horas præriperent, & nimis magno redimerentur pretio; Ignoscendum tamen

tavit iis præsertim, qui non nocendi, sed proficiendi proposito in his talibus peccarent. Valebunt, opinor, quæ vel dicta sunt vel majori adparatu dici possunt æquis censoribus, absque negotio persvadere, fuisse Brunnerum exemplar virtutum, quibus absolvuntur discentium officia, ut & boni patris familias munia. Fuisse eum Oratorem verborum actoremque rerum, & promovisse commendationem, qua Gregorii Magni sepulcrum ornatum accepimus,

Implebatque actu quicquid sermone docebat
Esset ut exemplum mystica verba loquens.

Quod si qui futuri erunt, qui fidem in his desiderant & celebre illud Brunneri nomen etiam vitiis quibusdam insigne fuisse judicant; horum judiciis nunc non opponam vulgatum illud; *de mortuis nil nisi bonum.* Certe nulla lex vetat de mortuis aliquando vera dicere, etiam existimationi eorum, ac famæ, honestati minus servientia, sed in quibus judicium charitatis dominabitur. Nihil potest ignobilius censeri, quam si illi, qui vitam suam omni labe ac infamia notarunt, post mortem magnificis elogiis dealbati publico sistantur. Quod, quid quæso aliud est, quam falsum testimonium dicere, honestioris vitæ incentiva exstingvere, quin & functiones facere venales, & pullulantibus inde malis aliis fomitem ministrare. Id vero confidentius hic affirmare sustineo, vehementer errare eos, qui viros etiam magnos ab erro-

erroribus immunes pronunciant, & omnes illorum actiones ad regulam curatius exigunt. Perfectæ vitæ consummatum exemplar nemo mortalium exhibet. Etiam in sole maculas observare licet. Quanto autem magis quisque est vir bonus & eruditus, tanto promptiori animo alios se ipso meliores æstimat. Dolendum vero, quod illuc ferme perductæ sint res nostræ, ut qui jurium multiplici communione sociati esse debebant, mutuo gaudeant interitu, indoleant felicitati. Etiam integerrimæ vitæ homines criminationi & invidiæ resistere non valent. Sed id inter alia solatio esse debet, quod exoticis etiam sapientibus innotuit, ad felicitatem bonorum sive constituendam, sive conservandam opus esse aut candidis amicis, aut fervidis inimicis, quorum illi monendo, hi maledicendo serviant. De cetero Brunneri gloriæ si qui detrahere laborabunt, vel intrepide insultare mortuo, quem vivum contueri non audebant, non tamen nisi inania vascula tundent. Triumphat cœlo recepta anima de invidia & livore, omnique similium conatu, qui aliorum vituperio nobilitari amant. Quin & monitor est, ut rigidi illi censores sollicite introspiciant id manticæ quod a tergo est, & seipsos excutiant potius, quam attente nimis in aliorum mores inquirant. Est illa artium Leviathanis tortuosi & recti una, eaque non postrema, quod cum doctrinam salutis dire-

cto impetu aggredi non potest, flexuoso molimine infestet personas, quarum ministerio utitur Deus, ut per eorundem criminationes detrahat doctrinæ. Sed talia consilia tacita quadam vi cultores suos consumunt, quorum vindictam aliquando filiis & nepotibus reservat summus rerum arbiter. Unum est quod in celebratissimi nominis BRVNNERO se jure forte requirere affirmabunt etiam illi, qui honori ac existimationi ejus quavis honesta ratione consultum volunt: scilicet, quod singularibus ingenii donis a Deo ornatus, exquisiti ingenii vastæque eruditionis fama celebris, in tanta dignatione & luce constitutus, quasi mortalitatis suæ immemor, pluribus operibus publico donandis nomen suum æternitatis tabulis inscribere intermiserit. Sæpe auditum est eruditis in patria viris id vitio verti, quod pingvi indulgeant otio, de eo omnium minime solliciti, ut patriæ ac rei literariæ gloriam scriptis illustrent. Amplus se hic offert dicendi campus, sed propositæ orationis modus sibi brevitatem deposcit. Scribendorum librorum nullum esse finem, non temere affirmavit Divinæ inspirationis Ecclesiastes. Et scribendi ille pruritus jam inde a tempore sapientissimi Salomonis in immensum crevit, ut orbis plenus esse videatur chartis, quæ blattas pascant & rugoso piperi tunicas præbeant. Non adeo laboravit Septentrio noster antiquitus illo scribacitatis mor-

morbo. Erunt forte tempora, cum ne illam quidem gloriam aliis concedere volet. Debet tamen commendatum esse illud sapientis Romani: mandare quempiam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua (scilicet honesta) allicere lectorem hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. Brunnerus, si quis alius, par esse potuit, qui gloriæ gentis nostræ & usui orbis eruditi, ingenii monumenta relinqueret. Et eruditionis ejus monumenta, non adeo quidem multa, sed nec omnino nulla supersunt, ex quibus eum, ut ex ungve leonem cognoscere licebit. Præter minora ingenii specimina passim in aliorum exercitiis obvia, Palæphatus de historicis incredibilibus ab eo emaculatus, versione, notis, & indice illustratus magnum exoticæ sapientiæ argumentum præbet. Prodiisset is brevi auctior una cum quibusdam Plutarchi opusculis, nisi vitæ filum subito abruptum fuisset. Edecumatarum in Philosophia & Theologia lucubrationum, artisque dicendi tesseras, disputando & perorando sæpe reliquit. Orbi Christiano lucri fecit primordia operis singularis de scripturarum allegationibus, multiplici eruditione referti, & tanto majori commendatione digni, quod vel nullos, vel oppido raros habuerit in consignando labore illo duces, ut viciſſim affirmari possit BRVNNERI industriæ ac vigiliis deberi

quidquid in argumento tam operoso utiliter elaboratum est, cujus operis consummationi utinam propitia fata voluissent eum superstitem; sed exercitationum illarum agmen claudere jussæ sunt intercalares considerationes eæque eruditissimæ super HOSIANNA & AMEN, quas nunc luctuosi excessus prænuncias fuisse interpretamur. Erant & alia sub manibus opera, inque his historia quædam salutis, pleniori informationi proficientium in doctrina fidei destinata, & non nisi ex limpidissimis Israëlis fontibus hausta. Sed etiam ab hoc opere subito discessit Pater, Currus & auriga Israël. Et pluribus sufficere non potuit brevioris vitæ curriculum, licet quem maxime intenta esset Brunneri cura in peragendis officii partibus, ut ne quidem virium infirmitas, cum qua subinde luctabatur, eum remoraretur. Etiam inter morborum insultus ac tormina non destitit, vel ipsemet commentari & excerpere, vel aliorum labores evolvere, vel tractandorum studiorum consilia præscribere. Sibi potius negavit otium, quam aliis operam. Sic aliis inserviendo consumi jubentur viri eruditi, quin & sæpe præmaturæ mortis telo confici. Nec tamen est quispiam, qui non potius de cumulandis quam minuendis eorum laboribus cogitat, hoc est, crudelis esse laborat in viros Deo, Divinis & posteritatis commodo consecratos. Imperatoriæ, tamen virtutis gloriam æmulabatur Noster,

ſter, ut ſtans mori poſſet. Medius agebatur menſis Auguſtus adoleſcentis æſtatis hujus, cum finem jam impoſiturus erat Brunnerus feriis æſtivalibus, quarum tamen tempore nullas ſibi indulſit ferias, ſed intentiori quam alias ſtudio difficili cuidam argumento explicando, etiam urgente Sirii inſolito æſtu, invigilavit. Et ecce ſubito eum adorta eſt quædam febris ardentis ſpecies, quæ absque mora induxit corpori laſſitudinem & tœporem, mox vires fregit & proſtravit. Implorabatur mature opera medicorum, quorum diligentiæ ceſſiſſet forte vis morbi, niſi quædam fatalis termini vicinitas humanam induſtriam eluſiſſet. Sentiens igitur ingraveſcentis mali violentiam; ut venientem mortem tanto majori cum hilaritate exciperet, ſerio ſe ad illam componit. Symmyſtæ ſuo devotus confitetur peccata, quæ ſibi cum proximo intercederent officia, quæque ſaluti publicæ eſſent innexa diligenter juxta ſcripturas explicat, & firmiſſima in ſalvatorem ſuum recumbens fiducia, de ſacratiſſimæ cœnæ ſalutifero epulo participat. Poſtea urgente licet morbi vehementia, langvidas vires, quas a ſe impetrare voluit, commodavit cum aliis pietatis exercitiis, tum meditationi ſuper mortis ac reſurrectionis Chriſti fructibus, finibus & officiis propriis, quæ peculiari de cauſa etiam præteritorum hebdomadum partem non minimam ſibi vendicaverat. Quo nemine huic

Noſtro

Noſtro debebitur pars aliqua elogii, quo Theodoſium ornat Ambroſius, *laudavi*, inquiens, *virum, qui cum corpore ſolveretur, magis ſollicitum geſſit animum de ſalute publica, quam incolumitate propria.* Defecere tandem vires, & certiora comparuere indicia mox ſecuturi exceſſus ex ſtatione hac mortali. Quod & eventu comprobatum eſt, cum ſub ipſo crepuſculo diei 22. menſis illius cœleſtis anima ex terreno ergaſtulo, in quo habitavit annis ferme 52. per ſecunda & adverſa, læta & aſpera emigraret, & in civitatem Dei viventis, conſortium angelorum, eccleſiam primogenitorum, & ad conſummatas juſtorum animas reciperetur: ubi absque mora fruitur inexplicabilis & imperturbati gaudii ſocietate etiam cum ordinis ſui præſulibus, Collegis & amicis, quos ſuo & eccleſiæ uſui ſubductos olim querebatur, jam gaudet ſibi redditos eſſe. Juſta lætitiæ cauſſa eſt lætum videre amicum; nunc amicorum hilaritas ſumma, & conſummata adauget cæleſtia ejus gaudia, cum ex communis felicitatis nunquam deſituræ fonte perfunduntur voluptate velut torrente, gaudio ſuper omne gaudium, ſuperante omne gaudium & extra quod non eſt gaudium. Cygnum funeris ſui cantatorem fecit antiquitas non ſolum, ſed & recentior ætas, cui ſcilicet perſvaſum fuit, avem illam dulci modulatione vitam claudere. Cygneas illas cantiones tanquam

quam nullo experimento comprobatas in fabulis reponere audebunt alii, qui emunctiorum narium esse volent. Id certiori argumento constat obsignasse BRVNNERVM suas ad ecclesiam Danmarkiensem conciones dulcissima cantione, qua funeri suo mox secuturo præluisse videtur, & magnum æternæ beatitudinis præcepisse gustum. Septima celebrabatur Dominica post Trinitatis, qua dulcissima & consolationis plena historia de transfiguratione Christi pro concione explicari meruit. Consveto, id est, cœlestis spiritus Zelo accensus vicissim Brunnerus tanta cum gratia cœlestia gaudia, & æterna beatorum consortia repræsentavit, ut, qui sermoni ejus attentas commodarent aures, quasi terrenorum immemores ad nitida & coruscа cœli palatia votis ac desideriis certatim contendere viderentur. Ipse vero mysteriorum illorum interpres tantam cœlestis beatitudinis vim sentire deprehensus est, ut præ sancti desiderii magnitudine Jesum suum provocaret, qui quantocius ex hoc ærumnarum ergastulo liberatum gaudiorum cœlestium, & habitationis in æternum mansuræ participem redderet. Et quemadmodum sub homiliæ illius exordio, cum pietatis ac devotionis pleniſſimo SALVE in conspectum ecclesiæ prodiit; ita finiens, ex mœrore & gaudio contemperatum ultimum reliquit VALE. Secretiori igitur luce præ-

præsentiisse visus est, terrenæ fragilitatis mox secuturam commutationem: Et pauciſſimis postea interjectis diebus lethali lecto affixus, quemadmodum iterata humanæ infirmitatis argumenta experitur; ita novis cœlestium bonorum incentivis alitur. Quin & absque longiori mora plena ac consummata eorundem fruitione beatur. Cum dolor & gemitus fugerent, priores angustiæ oblivioni traderentur, momentaneum afflictionis ejus, ingens, inæstimabile & æternum gloriæ pondus pareret, ac immarcescibilem justitiæ coronam acciperet. Sed felicitatis illius vel cogitatio sola magnitudine sua me obruit & tacitam sui venerationem mihi imperat. Quippe quæ acquiri potest, æstimari non potest: Nam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor cujusquam hominis intravit, quæ præparavit Deus his, qui eum diligunt.

Non amplius igitur Te visuri sumus, BRVNNERE, nec communis gaudii societate fruemur, nisi post hæc eadem feliciter confecta spatia. Tibi igitur impense gratulamur cum honore transactam ætatem, integram gloriam & recte factorum conscientiam, inprimis vero beatum transitum ex hac fragili vita in mansiones illas æternas. Et quantum venerationis, amoris, pietatis ac desiderii Tibi mortuo deferendum existimaverint omnes boni, frequentissimæ exequiæ & hono-

res

res funebres alii testatum fecere, quos meritis Tuis non invident nisi improbitas & malitia. Dolemus vicem honestissimæ Matronæ viduæ Tuæ, ut & charissimorum pignorum, quæ amissum lugent maritum, parentem, & nutritium optimum. Potiori vero jure deploramus sortem Patriæ, ac in ea Ecclesiæ, quæ in obitu tuo civis cordati & prudentis, Doctoris eruditi & constantis, quin & præcipuæ cujusdam in domo Domini columnæ jacturam fecit. Recogitas opinor, quod tempus sit, ut publicis damnis, ac periculis indoleamus, cum relinquuntur speculatores ferme non nisi lippientes, vigiles & excubitores, qui oscitando desidiam produnt, præcones, qui irraucuere, gubernatores, qui urgente tempestate præ nausea clavum relinquunt, & præsidiarii, qui loco stare non possunt. Sed novimus gaudia Tua imperturbata esse, & mala nostra Tibi negotium facessere non debere. Ergo desinam eorundem enumeratione in manes Tuos impius esse. Benignus proinde accipe ultimum, quod Tibi relinquimus VALE, donec feret Divina voluntas, ut in easdem Tecum æternitatis sedes translati mutuum dicamus SALVE. Interea si quid valent Tua, ac aliorum pie defunctorum desideria, in fluctuante hac Patria, luctanteque ecclesia constitutis fidei Tuæ consortibus adpreceris post exantlatos in mortali hac

statio-

statione labores felicem transitum ad beatæ illius vitæ Halcyonia, ubi una Tecum sempiterno Deum nostrum concelebrabimus HOSIANNA & AMEN. Veni Domine JEsu, gratia Domini nostri JEsu Christi cum omnibus Vobis. Amen.

Num. III.

VIRTVTES AC MERITA
VIRI
PER ORBEM LITERATVM
CELEBRATISSIMI
CAROLI LVNDII
IVRIS ANTECESSORIS SVMMI SENIORIS ACADEMIÆ VPSALIENSIS ET PROFESSORIS PATRIARVM LEGVM
LAVDATISSIMI
ORATIONE FVNEBRI
COMPREHENSA
IN AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI,
RECITATA
DIE XXVII. MAII AN. M DCC XV.
A
FABIANO TOERNER.

SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
SVMMÆ FIDEI VIRO
REGNI
SENATORI AC PRÆSIDI
REGIÆ CANCELLARIÆ
NEC NON
INCLYTÆ ACADEMIÆ VPSALIENSIS
CANCELLARIO,
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE
DN. GVSTAVO
CRONHIELM
COMITI IN FLOSTA, BARONI IN SEGLORABERG, DOMINO IN HYLTENÆS, CRANTZBRO, HWILSTAD. &c. &c. &c.
MÆCENATI MAXIMO.

EXCELLENTISSINE CELSISSIMEQVE COMES, DOMINE GRATIOSISSIME.

INsidet & oculis & animis nostris memoria illius diei, qua, Mæcenas Maxime, *interfuisti parentalibus sacris, quæ Upsaliæ, tam in templo Cathedrali, quam in auditorio Academiæ Gustaviano, sunt facta manibus Consultissimi Viri, Juris Patrii Professoris, & Consistorii Academici Senioris,* CAROLI LVNDII. *Ex illa tanta humanitate* Tuæ Excellentiæ *conjecimus nos,* LVNDIVM, *nationis etiam Smolandicæ, inter tot munera alia, Inspectorem longe desideratissimum, in numero eorum fuisse, quos magni faceres: & jam scimus simul, ex hac* LVNDIANA *laudatione, feciſſe Te eum maximi. Proinde ut nos, filii ejus terræ, cujus alumnus erat communis nostræ Nationis Parens, testemur gratissimum in* Tuam Excellentiam *animum, & submissa obsequia, quum aliter grati esse nequeamus, & cupiamus tamen esse gratissimi; parentalem hanc rationem de b. m.* LVNDIO *habitam, ab Eloqueutiæ Professore, Amplissimo Dno.* FABIANO TOERNER, Illustrissimo

Tuo Nomini, *quod suo complexu delicias Musarum Upsaliensium continet, a nobis commissam typis, inscribimus, nosque simul, & studia nostra omnia dicamus*

CELSISSIMÆ EXCELLENTIÆ TVÆ

cultores humillimi

NATIONIS SMOLANDICAE
In Upsal. Acad. Studiosi.

HOSPITIBVS MAGNIS, PATRIBVS ITEM, CIVIBVSQVE ACADEMICIS ET VRBICIS

RECTOR ACADEMIAE VPSALIENSIS

OLAVUS RUDBECK FIL.

ANATOM. ET BOTAN. PROFESS. REG. ET ORD.

S. & O.

INter summos viros, quibus olim floruit Græcia, principem fere locum obtinuit Socrates Athenienſis, de quo literis prodiderunt cum alii, tum vero inprimis Xenophon & Diogenes Laërtius, eum Apollinis oraculo ſapientiſſimum judicatum. Videamus quid in Socrate non modo Athe-

næ;

næ adorarunt, verum etiam tota Græcia. A graviſſimis auctoribus, quorum mentionem jam modo injecimus, diſertis verbis relatum accepimus, virum religioſiſſimum, æquiſſimum, prudentiſſimum eloquentiſſimumque fuiſſe. Præter has tam eminentes excellentesque virtutes, quæ in illo domicilium ſuum fixamque ſedem habebant, eum quoque exornabant condecorabantque vitæ, ut in homine ethnico, ſanctimonia, corporis decor & gravitas, habitusque dignitas & ſplendor. Ad hæc impendio laudatur ob σωμασκίαν, qua valetudini ſuæ tam egregie conſulebat, ut ſoſpes atque incolumis ad annum usque ſeptuageſimum vixerit. Hac vivendi ratione conſtantiſſima utens, Apollinis Pythii oraculo, ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος judicatus eſt. Et quamvis ægre tulerint ceteri ſapientes hunc oraculi ſorte ſe præſtantiorem, excellentioremque judicari: tamen poſtquam e vita exceſſiſſet, ingens ſui deſiderium omnibus reliquit; quamobrem etiam poſt fata ejus, omnes palæſtræ & gymnaſia clauſa ſunt, & ærea imago a Lyſippo adornata, inque illuſtriſſimo urbis loco poſita, tanti viri æternæ memoriæ dicata eſt. Dum hujus viri magnitu-

dinem & felicitatem cogito, pariter animum subit imago beati nostratis CAROLI LVNDII, Jure Consultorum facile principis. Omnia enim, quæ Socratem magnum ac conspicuum reddiderunt, etiam in illo eminebant: vitæ nempe integritas & sanctimonia, corporis dignitas, robur & gravitas, habitusque decor, immo splendor; nec unquam subterfugiebat corporis exercitiis valetudinem curare. Quæ sane non ut laudator, sed verus eminentium virtutum æstimator, absque fuco scripsi; & ulterius pro more, qui dudum apud nos invaluit, vitæ ejus curriculum breviter describam. Incunabula sua debet Ridgothiæ, quæ nunc Smolandia audit, & quidem ejus regionis, civium multitudine, opulentia & dignitate, cumprimis autem supremi utriusque Gothiæ Dicasterii sede, nobilissimæ urbi Junecopiæ. Heic anno CIↃ IↃC XXXVIII. die VIII. Aprilis, in lucem auspicato editus est a parentibus, majorum meritis suisque virtutibus conspicuis. Pater fuit Vir muneris amplitudine, ac eruditionis laude amplissimus consultissimusque Dominus *Carolus Lundius*, laudati Junecopensis Dicasterii Assessor gravissimus: Mater vero omnibus sui sexus vir-

virtutibus cumulatissima Matrona *Vendela Lælia*, Professoris ac postea Secretarii Status Regii, Nobilisimi *Laurentii Lælii* filia. Hi tenellum adhuc saluberrimis pietatis præceptis instruunt, adultiorem & egregia sagacisque ingenii indicia edentem, literis ac moribus quam diligentissime imbuendum optimis præceptoribus prudenter ac tempestive tradunt: Hinc maturiorem in ludum literarium, qui Junecopiæ viget: Postquam vero Parens optimus, singulari gaudio perfusus, animadvertisset, aliud stadium eligendum, in quo filius eximiis ingenii dotibus instructus, virium suarum periculum faceret, magna spe Lincopiam anno CIↃ IↃC LIV, mense Augusto proficiscitur, ibique florentissimi Gymnasii Magistris filium cognominem sollicite committit. Inde voti a parentibus compos factus, in hanc spatiosissimam ingenuarum artium palæstram, anno CIↃ IↃC LVIII, mense Februario se recipit. Hic vi ac tenore Regiarum Constitutionum a Professore Eloquentiæ, id temporis Decano, *Jona Sundelio* rite examinatus & pulcerrimo elogio ornatus ab OO. LL. laudatissimo Professore, tum Rectore Magnifico *Johanne Laurbergio*, Al-

bo hujus Academiæ inscriptus est. Heic autem quam assidue, ac feliciter in studia Theologica, Philosophica & Juridica incubuerit, vel inde manifestissimum est, quod uno eodemque anno, nempe secundo supra Sexagesimum seculi superioris, summa studiorum suorum laude, in tribus istis facultatibus examen publice subierit. His tam præclaris speciminibus, cumprimis autem in Facultate Juridica pro gradu Doctoratus editis; examinantibus Doctoribus ac Professoribus Celeberrimis *Johanne Loccenio*, *Daniele Sidenio*, & *Petro Gavelio*, factum, ut a Drotzeto Regni, Aboënsis Academiæ Cancellario, Celsissimo Comite *Petro Brahe*, ad Professionem extraordinariam Juris in Academia ista suscipiendam, indulgentissime vocaretur. Ceterum, quoniam Noster lectissimam Virginem *Gertrudam Lohrman*, consulis hujus urbis laudatissimi *Thomæ Lohrman*, filiam jam nuper auspicatissimo matrimonio junxerat, spartam a tanto Heroe sibi oblatam summa modestia recusavit: consultius ducens exteras Regiones primum adire, earumque nobilissimas Academias visere. Rebus igitur omnibus rite perpensis, Camœnis Upsalensibus valedicens,

dicens, secundo vento Hafniam proficiscitur. Illinc ad alias per Europam celebres Universitates iter flectit, inprimis vero Jenam, & paulo post Strasburgum, Galliarumque regnatricem urbem Lutetiam Parisiorum petit. Hincque dein per Belgium fœderatum, Hamburgum & Hafniam, institutis interea temporis hic illic sermonibus cum Viris eruditissimis, Bœcleris, Irsoniis, Gronoviis, Rephianis, Bosiis, aliisque quam plurimis domum repetit: anno nimirum CIↃ IↃC LXVI. mense Martio. Jam itaque primum Adjuncti, biennio post Extraordinarii Professoris, & mox vice Legiferi Uplandiarum munera adibat. Denique anno CIↃ IↃC LXXVIII. Professioni Ordinariæ Juris Patrii, summo hujus Academiæ & Patriæ emolumento admotus est. Hac provincia per reliquum vitæ tempus fungebatur, quo ipso item laudato Socrati simillimus fuit, qui, referente Laërtio, eodem in loco constanter manebat. Verum enim vero hoc ipso Socrate longe felicior, quod, ut ille ob oraculi responsum, invidia sic rem vertente, Magistratui Athenienſi valde invisus fuit; ita Noster contra non modo civibus Academicis ob profundam eruditionem, at-

que singularem comitatem, verum etiam cunctis literarum æstimatoribus, Magnatibus Regni, immo ipsis Augustissimis CAROLIS, XI. glorioſisſimæ Memoriæ, & Noſtro XII. quem Deus ſoſpitet, florentemque quam diutisſime præſtet, carus & acceptus. Hujus felicitatis imprimis ſunt teſtes literæ, quibus a CAROLO XI. renovandæ verſionis latinæ Legum Patriarum labor ei injungitur, quibusque a CAROLO XII. ſic expetentibus S. R. Majeſtatis ſummæ fidei Viris, ſingulari auctoritate munitus, ipſum codicem Legum denuo limare, caſtigare, ſuisque obſervationibus illuſtrare jubetur. Utrumque adcuratiſſime exſequutus eſt: prius intra ſemeſtre temporis ſpatium; poſterius autem intra biennium. Quanta vero dexteritate, fide, ſapientia prudentiaque tantum opus abſolverit, purpura & muneris gravitate in orbe noſtro Arctoo excellentiſſimi, maximeque conſpicui Viri dudum per literas Regi Clementiſſimo notum fecerunt, & tempore futuro adhuc magis, quod ſperamus, omnibus patebit. Chalcographorum opera & typis jam modo impreſſos habemus hujus tanti Viri Zamolxin, opus eruditione & rebus ab ultima orbis Hyperborei antiqui-

tate

tate repetitis, refertisſimum: Jus vetus Uplandicum, Jus Weſtro-Gothicum: Agapeti Papæ ſecundi Epiſtolam ad Reges Sveo-Gothicos; ſingula abſolutisſimis prolegomenis & annotationibus illuſtrata: ad hæc eximia additamenta ad Indicem Verelianum &c. Ut de his impenſe nobis gratulamur, ita ſummopere dolemus, ceteros ejus labores in fumos & favillas abiiſſe, quum funeſtisſimum incendium Anno MDCCII. urbem noſtram ferme integram ſolo penitus æquaret. Dolemus quoque eum nobis non fuiſſe ſuperſtitem, donec opus pulcerrimum, Themis Hyperboreo-Attica inſcribendum, ad colophonem perduxiſſet. Magiſtratum Academicum, quem Rectoratum vocamus, quinquies ſumma laude geſſit. Cum dilectisſima conjuge magno mutui amoris certamine per annos quinquaginta duos pæne integros vixit. Ex ea octodecim optimæ frugis liberos ſuſcepit. Sub finem anni proxime præteriti & Rectoratus ſui ultimi, gravi & inopinato morbo, loquelam quoque inhibente, implicitus, tandem decumbere & vitam cum morte mutare coactus eſt, ſeptem fere & ſeptuaginta annos natus. Hæc, nos ſtrictim,

ctim, & pro temporis habitu leviter duntaxat attigimus, craſtina luce, volente DEO, horis ante meridiem ſolitis, funebri laudatione *monumentum ære perennius*, Socrati noſtro erecturus, æternæque memoriæ conſecraturus, Eloquentiæ ad hanc Academiam Profeſſor longe Celeberrimus Dominus FABIANVS TOERNER, collega & amicus noſter honoratisſimus ac perpetim colendus. Quocirca ut in limine, ita nunc *Magnos Hoſpites*, *Patres*, *Civesque* Academicos, & Urbicos, qua par eſt veneratione & humanitate, oro atque obteſtor, ut exſequias deſideratisſimi LVNDII, ſua præſentia cohoneſtare velint, & craſtino die beatis ejus manibus parentaturo, frequenter adeſſe. P. P. Upſalis die XXVI. Maji Anni CIↃ IↃC XV.

)(o)(

He-

* * *

HEsternus dies erat, Auditores omnium ordinum mœstissimi, quo, amplo & acerbissimo simul funere extulimus, magnæque matris, terræ, amplexibus, qua qua poteramus cura, ac diligentia commendavimus Suecanæ Themidis antistitem, virum immortalis memoriæ nominisque CAROLVM LVNDIVM, Juris Divini & humani interpretem, patriique Professorem, & seniorem Academiæ Upsalienſis, in orbe literato celebratissimum.

Augebant longo ordine, atrati comitatus pompam filii, filiæ, generi, nurus, nepotes, affines, Patroni, clientes, tristem omnes fletu miserantes casum.

Aderant ad lugendum viri fœminæque illustres: nec ciuitas solum tota e suis excita locis aderat; sed rura etiam vicina, tamquam ad spectaculum quoddam seculare confluebant, visura ultimum, quem, patris loco, in vita coluerant virum.

Vos, Patres Civesque academici, qui mortes doctorum aliter accipitis, quam forte alii, eundem hodie, ac heri, servatis vultum, hoc est, flentem ac lugubrem.

Et vobis quidem, Patres, ante oculos sunt in nos omnes merita viri maximi, qui, si duos veteranos, ARRHENIVM & VALLERIVM excipimus, ad filiorum classem, quotquot sumus, pertinebimus. Nam non est quisquam, ex numeroso ordi-

ordine noſtro, qui non paterna beneficia a beato LVNDIO acceperit: nemo eſt, qui non communi hoc præceptore ſit uſus. Proinde non miror, ſi perturbatis animis cogitaveritis jacturam rei literariæ, & hujus academiæ, noſtro non reparandam ævo.

Quamquam vero noſtrarum lacrimarum ea ſit magnitudo multitudoque, ut vel duriſſima Parcarum numia flectere, ac mitigare potuiſſe videantur; ſunt ſimul tamen, extra pomœria hujus urbis plurimi, iique maximi viri, qui LVNDIANVM, in Pindo, ſidus occidiſſe querantur.

Illos omnes loquor, quos, per annos quinquaginta, quo ſpatio temporis patuit, jam, eheu, occluſum LVNDIANÆ domus Athenæum, inde examinum inſtar, quovis die, magna copia erumpentes vidimus.

Erant in ingenti illo juvenum globo, ceteris admixti natalium & imaginum luce fulgentes Comites, Barones, Nobiles: quos a LVNDIO informatos, magnos Juris & æqui cuſtodes diu habituram ſe gloriatur, utque habere poſſit, Deum precatur Svionia.

Ex hac, inquam, virtutum & ſapientiæ privata officina in lucem publicam, in Svio-Gothici regni, rerumque theatrum egreſſi ſunt omnis loci atque ordinis magni præceptoris diſcipuli maximi.

Quare mortem ſui olim magiſtri deflent

Senatores Regii, Gubernatores regionum, Satrapæ, Dicasteriorum & Collegiorum Præsides, Prætores, provinciarum Judices, consules urbium, vicorumque Decuriones.

Tandem si habent academiæ hanc gloriam, ut sint nutrices earum artium, quibus surgunt & florent imperia, jam Tuum desiderium, o LVNDI Pater, majus est, quam ut dici possit. Et Tua laus supra æmulationes posita nulli nostrum affectanda.

Habent scilicet, habueruntque academiæ, per patriam omnes, non Upsalia solum, quot quantosque abs Te factos doctores! Quos ceterosque summos viros dum præsentes mihi sisto, onus mihi injunctum sic difficilius, sic Ætna gravius reddo. Jamque id mihi accidere sentio, quod his, qui, per intempestivam humanitatem, sua officia prolixe commendant, & se offerunt iis rebus explicandis, quibus, ubi manum admoverint, & dicendorum spatia cogitando emensi fuerint, impares se omnino agnoscent.

Non enim simpliciter de LVNDIO dicendum est mihi, quamvis & is vires meas superet labor; sed de judiciis simul de NOSTRO eorum, qui munerum dignitate & eruditionis laude jam diu prætervecti sunt eas metas, ad quas nos tanto conamine in rostris academicis contendimus.

Obversabuntur meo dicentis animo perfectissima illa sapientiæ & humanitatis certamina, in quibus, quis locus NOSTRO debeatur, eo dispi-

spiciendum cautius, quo major fuerit semper LVNDII modestia; & noluerit etiam protractus prodire.

Protrahunt interim præceptorem in fulgentissimam lucem gratissimi discipuli, & eo usque prædicant suæ fortunæ auctorem, ut, quicquid ego dicere tentem, sit tantarum laudum inanis quædam umbra.

Jure itaque pedem ego referrem. nec manum aut dudum absoluto, aut aliis consummando operi admoverem; nisi ita esset, ut pietas in non necessariis quandoque locum haberet, & merito sæpe cogeremur ad facienda ea, quæ a nobis, nisi imperfecte, fieri non queunt.

Qui causas humanarum actionum explicant philosophi, eas invitas faciunt, in quibus etiamsi appareat, quod liberum sit, & sponte fiat, vis tamen aliqua major dominetur.

Proinde si verum dicam, ignoro certe, an ego, qui auctoritati Venerandi Consistorii, & nobilissimæ familiæ jussis non rectius repugno, quam ventis & fluctibus in mari periclitans nauta, sponte accesserim ad munus supra vires meas positum, & tam libenter tamen a me susceptum.

Quicquid est, LVNDIANAS laudes illis ipsis, quos dixi, & quos habet ille suarum virtutum tubicines, relinquens, utcunque potero, etiam hoc loco colligendos tanti viri cineres rudi sermone, qualis meus est, parentando componam: nihil-

nihilque ornamenti addendo nomina duntaxat & præcipua rerum capita recitabo.

Quæ quum verbis meis amplificari nequeant, nec opus habeant, hactenus perinde esse videtur, ego, an alius dicat, quæ ab omnibus dici debeant.

Et perinde fuit veteribus, quis in ludis præco, dummodo valeret voce, in citando victore. Neque enim censebatur vociferans ille ex dignitate pugnantium, vicentiumque, sed solo volentium suffragio: atque præconi quidem, instituto Romano, satis erat, si liber, si ingenuus, si civis.

Accipite igitur A. O. benevolis auribus animisque viri, inter nos principis, patris & senioris vitam paucis enarrandam verbis.

Est Gothiæ pars australis, in plures divisa provincias, quibus singulis sui olim reguli, eoque a parvis regnis *Smolandia* vocata.

In illa de principatu inter urbes soli Smolandici in primis certant clavis dicta maris Baltici Calmaria, & Junacopia. Atque ut illa Neptunia urbs, & sago quasi induta, suorum munimentorum hostiles sæpius excepit, sæpius arcuit impetus; ita Junacopia togata est, &, inter cetera bona, Astrææ Gothicæ tribunal possidet. Hinc enim, quicquid est urbium & hominum in terra Gothorum, jura petit & accipit.

Constitit semper, ut nunc consistit sacer

ille Themidis senatus, hoc est, Dicasterium in Gothia Regium viris sapientia, & usu rerum probatissimis, prudentissimisque: quorum olim pars magna CAROLVS LVNDIVS, nostri CAROLI pater: qui ut pulcherrimæ subolis felix evaderet parens, sui seculi & sexus, rarum inter optimas fœminas exemplar, virginem WENDELIAM, Regii Secretarii status LAVRENTII LÆLII filiam fœdere conjugii sibi junxit æterno.

His noster editus parentibus, anno superioris seculi millesimo sexcentesimo tricesimo octavo, mox, ubi lucem conspexerat, aquis Salvatoris morte & testamento ad æternam vitam efficacibus, infectæ naturæ sordes ablutus, in veram eé cœlestem Dei in terris civitatem transcriptus est.

Remota post annum nutrice & cunis, aderat infanti quinquenni sedulus in domo patria magister, qui, quum in puero, intra brevissimum tempus, arreptis ab eo Christianæ fidei capitibus, & linguæ Latinæ rudimentis, deprehenderet igneam ingenii vim, in posterum æmulatione alendam, auctor is erat prudentissimo patri, ut publicæ in Schola contentioni, ad majora festinans pusio committeretur.

Erat THEODORVS LALLERVS ea tempestate Junacopensis Ludi Conrector, homo, sine Orbilii asperitate & superciliis, gravis, & affabilis simul, ut sunt, qui ad juventæ commoda habentur idonei. Is

Is LVNDIVM, sibi a patre datum commendatumque, manu arreptum in Scholam duxit, inde reduxit, publici & privati præceptoris rite fungens munere.

Atque ideo libentius suo LALLERO adhæsit Noster, quod essent, qui in illo præceptore impensius laudarent non vulgarem Græci & Latini sermonis peritiam: in quo utroque sic profecit discipulus felicissimus, ut vix posita puerili prætexta, periculum faceret, in Schola, declamandi de Achille, & ceteris, Homeri carmine, Marti Deo exæquatis Græcæ fortitudinis prodigiis.

Aderant, inter alios, & audiebant perorantem studiosi etiam Upsalienses, quorum usus familiaritate ac colloquiis quum disceret Noster, alibi quoque esse LALLEROS, subornavit, qui id agerent apud THEODORVM Conrectorem, liceret & sibi manum ferulæ subducere. Quando non sine magna animi voluptate passus est facilis ille Magister, se precibus ad id permoveri, quod non rogatus paullo post feciſſet. Verum ne videretur quicquam alienis precibus dare, quod sibi dandum jure postularet tam carus alumnus, utque satisfaceret officio veri & boni præceptoris, qui discipuli curam una cum discessu non intermittit, ea lege exeundi e Schola veniam petiit, & a parente impetravit CAROLO suo, ut more majorum, Gymnasium aliquod prius inviseret, quam in Academica involaret subsellia.

Vexionenſe vero, vel Lincopienſe eligeret ad alterutrum abiturus. Florebat utrumque viris eruditis, & diſciplina optima: ſed ideo ad Lincopienſes ſe contulit Noſter, quia erant Upſaliæ, ad quam feſtinabat, propiores.

Huc itaque veniens, quicquid erat, quod in minori & majori Gymnaſio doceri, aut diſci ſolet, illud rapax arripuit ingenium. Quo facto, ut admirationem meruit Lectorum; ita æmulantium condiſcipulorum invidiam fere provocavit.

Quare poſtquam octies, præſente Enandro Epiſcopo, Magiſtris Gymnaſii rationem ſtudiorum ſolenniter examinatus, non ſine audientium adplauſu reddidiſſet; vereri cœpit tandem Epiſcopus, ſi in hac tam acri cum Oſtro-Gothis inſtituta contentione victor ſemper evaderet LVNDIVS, ne iſta nimis mordaci e *Smolandia* cote, magis obtunderentur, quam acuerentur ingenia eorum, qui, quem ſequi non poſſent, aſſequi ſe poſſe deſperarent: atque publice decrevit, ad Academiam ablegandum eſſe illud ingenii, inque ea ætate profectuum portentum.

Lætus Noſter, eo ſe abigi, quo omni ferebatur cogitatione: & anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſeptimo, vergente Februario, intra hæc noſtra adfuit mœnia.

Rector tunc temporis Magnificus erat IOHANNES LAVRBERGIVS Lingg. Orient. Profeſſor,

fessor, qui LVNDIVM, vi legum Academicarum, adprobatum Philosophicæ Facultatis Decano, IONÆ SVNDELIO, Professori Eloquentiæ, in album nostræ civitatis retulit.

Verum præter exspectationem luce & eruditione Academica ita perculsus est LVNDIVS, ut, an auderet orsa persequi, dubitare jam cœperit. Heic enim campum illum esse deprehendit, in quo, quum apud LALLERVM, & in Gymnasio primus semper esset, ac in omni æmulatione victor, de successu, si ad certamen se accingeret, desperaret.

Videbat decursis latissimarum scientiarum spatiis, alios in Theologia, alios in Jure, in Medicina, in Philosophia, Historia, Mathesi, Oratoria, Poësi principatum obtinere, & ad metas ac calcem perveniisse, quum ille, quod dicitur, circa carceres & initia hæreret. Jamque quid Junacopiam Scholasque Lincopienses interesset & Upsaliam, indignando deprehendebat. Scilicet audientem pugiles illos, Philosophiæ candidatos, ceterosque disputantes, vel perorantes pœnituit suarum declamatiuncularum, seque olim inter cœcos commilitones pueros luscum, ut ajunt, regem fuisse.

Est quidem dubitatio, Auditores, inter ea, quæ prosunt raro; sed admodum utilis tamen his, qui ad Academiam ventitantes alibi non nisi primas futuræ, & heic consummandæ sapientiæ duxerunt lineas. Neque enim orchestra

saltatorem admittit, qui octidui usus est magistro, sine risu spectantis populi. Et perversa ea est studiorum ratio ac via, quam ingrediuntur, nescio quo ineptæ eruditionis tumentes fastu, omnia tamen ignorantes quidam, qui, tanquam illotis manibus, sublimiora hæc Musarum sacræ Scholæ advolantes pulvere, audent contrectare.

Scilicet ibi incipiunt, ubi rectius desinerent: & interea, dum præposteré pergunt, parum aut nihil promovent.

LVNDIO itaque eo usque sua dubitatio salutaris fuit, ut, qui regendæ ejus præfecti essent juventæ, timidam illam deliberationem pro omine acceperint, & raræ indolis indicio: quo significaret, alienum se esse ab iis, qui ad sapientiam perveniissent, nisi veniisse se putarent.

LAVRBERGIVS etiam & LOCCENIVS bono esse jubent animo, isto in bivio constitutum adolescentem, & monstrant, quo pergendum, iter.

Sic tanquam jacta alea, trans hoc vadum se proripit, sub Apollinis signis tandem pugnare ausurus.

Ita vero pugnavit, ut, qui paullo ante longo post se intervallo reliquerant LVNDIVM, jam novum & comitem & æmulum haberent. Nam & publice & privatim opus urgendo suum, eas brevi fecit progressiones, ut post quintum annum, ex quo Upsaliam advenerat, triplex

plex subiret examen apud Theologos, Philosophos, Juris consultos: & apud hos quidem, pro gradu, ut vocant, examinantibus consultissimis viris Doctore IOH. LOCCENIO, Doctore DANIELE SIDENIO & extraordinario juris Professore, PETRO GAVELIO.

Quibus titulis, quibusque laudibus per egregiam, nec intra tantillum tempus speratam eruditionem ornatus fuerit Noster a Facultate Theologica, Juridica & Philosophica, non aliunde rectius apparet, quam ex testimoniis & singulorum Professorum, & trium Decanorum manu signatis.

Annum egit vicesimum quartum, o Juvenes carissimi, LVNDIVS, quum emensus esset tam late extensos Academicæ eruditionis campos.

Præter juris Romani & Patrii notitiam, præter illas juvenilis ætatis veras voluptates, historiam & antiquitates, ita inclaruit Tulliana facundia, sæpius jam tum perlecto Cicerone, ut etiam inter loquendum, nullum ipsi exciderit verbum, quod non olim a Tullio fuerit prolatum.

Quare servant tot ab eo perscripti libri eum stili Latinitatisque nitorem, ut cum LVNDIO pauci queant conferri: & ad posteritatem judicare pertineat, annon in ferreo hoc seculo aureus & is habendus Latini sermonis auctor.

Ac licet in Latinis literis eas progressiones

tum feciſſet; neſcio tamen, qui factum ſit, ut magis in oculis omnium verſari cœperit propter ſtudia Græca: niſi ita eſt, ut, quum poëſis ſit inter delicias, & ſumma humani ingenii tentamina, atque Noſter Græca hac arte excelluerit, quia rarius exemplum, ideo plus adamatus fuerit.

Eſt nimirnm non niſi paucis datum, ut unus aliquis pari conatu & poëtico illo ſpiritu animatus carmina fundat, & ſoluta ac oratoria præditus vena copiaque, Tulliorum in longum exſpatiantium aſſequatur in dicendo ubertatem.

Contigit tamen rara illa felicitas LVNDIO. Nec, quod nunc miramur, quia deſinere fere incipiunt exempla, ea ætate admodum mirabantur homines, potuiſſe in doctiſſimo juvene tam arcte conjungi aut Græca cum Latinis, aut ſolutæ & vinctæ orationis elegantias.

Erant paullo ante eadem ſtudia Scaligerorum, Grotiorum, Heinſiorum, quibus in re literaria principibus viris Noſter per ſtudiorum ſimilitudinem hactenus ſe adjunxit, ut eſſet quoque illud in Svionia, quo ſe jactaret terra Batava, ac Italia.

Sed prodigio res ſimilis erat, noviſſe præterea Noſtrum infinitas illas Grammaticorum lites circa verba ſingula; ſpinoſa illa & ardua Logicorum, etiam de minimis, multiplicia præcepta.

Philoſophiam, quam vocant primam, perfecte

fecte didiciſſe, & maximi feciſſe ſapientiæ ſtudioſiſſimum LVNDIVM, inde conſtat, quod Platonem non minus ſibi familiarem haberet, quam aut Codicem, aut Digeſta.

Unde factum eſt, ut in publicis & privatis colloquiis non aliter diſſereret, quam olim Ammonius, Plotinus, Jamblichus, Marſilius Ficinus, Buratellus, aut alius aliquis Platonicorum dogmatum interpres optimus. Certe iisdem verbis, quibus Plato uſus, diſputavit ſæpe de ideis, Ente illo vero, de Uno, de intelligentiis, de anima hominis: de ceteris, quæ ſunt veræ Metaphyſicæ capita: in multis tamen acute, ac in emolumentum audientium, tam magnum emendando philoſophum.

Docuit Platonem, quum ſit omni dignisſimus honore, Divinum ideo appellatum, quod ceteris ſapientibus non intellecta maximarum rerum arcana potuerit pandere.

Habetis ex hac narratione vos, amici Juvenes, Upſalienſis Academiæ ſtudioſi, qua via & quibus in rebus ſit feſtinandum vobis, ſi ad glorioſam hanc, quam prædico, ſapientiæ laudem pervenietis.

Atque ſi diligentiam LVNDIANAM vobis ob oculos poſueritis, proponatis ſimul pietatem in Deum, Parentes, Præceptores ſummam.

Imitamini, quæſo, temperantiam & caſtitatem: amplectimini humanitatem facilitatemque

temque, quam in ipsis Gratiis, non minorem.

Este hoc animo, ut ad obsequia promti, omnibus sitis faciles, jucundi, obvii.

Vobis, qui usi estis tanti viri consvetudine, eam felicitatem gratulari certe convenit. Si namque sangvinis & corporum communitas ad similitudinem multum fecerit, quod toties docuit experientia, vestræ sane mentes multa traxerint, necesse est ex virtutibus & auctoritate ad imitandam efficacissimi exempli.

Si traxeritis, in obscuro esse non poteritis, ut neque fuit Noster, qui hoc, de quo loquimur, anno, ita inclaruit, ut Regni Senator, Drotzetus, & Aboensis Academiæ tunc Cancellarius, Comes illustrisimus, PETRVS ille BRAHAEVS, sola viri fama permotus, e literatorum quasi plebe evocarit LVNDIVM ad vices ordinariæ professionis Aboæ sustinendas.

Verum LVNDIVS, quem honorem, ambabus, quod dicitur, alius arripuisset manibus, ut devitaret, multum sudabat, &, quæ illius erat modestia, præcocem esse rebatur. Nec tamen sine gravi culpa tanti heros de se factum subterfuisset judicium, nisi & is quoque approbasset peregrinaturi consilia, de visendis extra solum Patrium eruditis viris, & locupletanda laudabilis eruditionis supellectile.

Ne vero modestiæ suæ porro obesset, vimque inferret quasi, si daretur similis occasio denegandi obsequia his, quibus deberet; opibus

& au-

& auctoritate consultissimi parentis, per mare Balticum navigando, fortunæ tantisper se subduxit, & ante tempus sibi faventem, honesta hac fuga distulit.

Oceano itaque superato Hafniæ aliquantisper ut commoraretur, invitavit humanitas WANDALINI, Theologiæ Doctoris, & Professoris primarii: invitavit benivolentia PETRI SCAVENII, Professoris juris, & Regii consiliarii. Cujus utriusque consuetudine sic usus est Noster, ut certamen quoddam provocarit maximorum virorum in suppeditando sibi, quicquid haberent scriniorum eruditi thesauri.

Et quum SCAVENIVS recte putaret, se juris studiosorum fovere, WANDALINVS cum futuro mox Theologiæ Doctore sibi rem esse putabat.

Usque adeo in utraque disciplina æquis passibus profecerat Noster! Ægre itaque ab his viris dimissus vicinas in Germania adiit Academias: atque passim relicto aliquo suæ industriæ specimine in Jenensi hæsit diutius, per singularem facilitatem favoremque Comitis Palatini Doctoris & juris Antecessoris GEORGII ADAMI STRVVII, ut & IOHANNIS BOSII, Eloquentiæ, & Politices Professoris.

Erant illi suæ Academiæ duo lumina, quorum splendor ad Jenensia Musarum sacra ab omni Germania, Gallia, Anglia & septemtrionibus numerosam partem filiorum Apollinis contraxerat.

Jam-

Jamque a STRVVIO, post adventum Nostri, duodecim diversarum nationum Licentiati per solennitates in Academiis usu receptas, renunciandi creandique erant juris doctores.

Quid vero efficiat eruditionis major fama, Auditores, non ullo exemplo magis luculento constat, quam ex hoc LVNDII, cui Palatinus Comes, sui nunc ordinis, hoc est, Juridici Collegii Decanus, illum obtulit honorem, ut in tam pulchro Jurisperitorum agmine & choro aut restim duceret, aut secundus esset.

Quem honorem cur detrectaverit, dum circumspicio, nec quicquam veræ caussæ subesse invenio, indignor, dicendum mihi esse, fuisse aliquando Nostro modestiam non satis tempestivam.

Oblatos enim & debitos honores non rectius repudiamus, quam reliqua vitæ fortunæque munera, quæ sapientis est, non detrectare.

Sed quum in ceteris nihil omnino reperias, quod reprehendas, ego heic quoque me contineo: & suspicor, aliquas fuisse Nostro repudiati honoris caussas, quæ justæ, & quas ego, illo tacente, non valeo assequi.

Id verum est, Magnum illum Struvium, ubi defunctus fuerat cærimoniis promotionis Doctoralis, & jam in majorem ejus familiaritatem admissus esset Noster, fassum fuisse, præter exspectationem, spe majora se inveniisse in Sveco illo omnis doctrinæ indicia: eoque se ei,

non

non sine causſa jam succenſere, quod Doctoris in jure titulos, quibus eſſet digniſſimus, admittere noluiſſet.

Iſto tanto tanti viri profectuum ſuorum teſtimonio lætus Noſter, Jenam relinquens Argentoratum ſe contulit, urbem & Academiam ea tempeſtate ſuperbientem omnis doctrinæ copia IOHANNIS REPPHANII, & IOANNIS HENRICI BOECLERI.

Atque licet Noſter in REPPHANIO id haberet, quod a pancis eſſet exſpectandum, ideoque libenter diutius apud eum commoratus fuiſſet, allexit tamen omnia ſcire & videre volentis animum Lutetia Pariſiorum, ut eo profectionem maturaret.

Ut vero brevioris temporis amicitiam & hoſpitium, quo apud ſe uſus erat politiſſimus juvenis, prolixiori proſequeretur officio Argentoratum; decrevit Senatus ejus Academiæ, LVNDIVM, ad Pariſienſes abiturum, teſtimonio publico, eoque omnium accuratiſſimo exornandum.

Non ſine ſumma animi voluptate aut Noſter legit, aut nos legere poſſumus ſummorum virorum exquiſitas laudum formulas, quas vel teſtimonium illud habet, vel theſaurus Symbolorum, in quo ſui memoriam Noſtro commendarunt & Argentoratenſes, & per omnem Germaniam viri quique eruditiſſimi.

Jamque non miramur, tot doctorum hominum

minum tesseris abundantem hospitem, exporrectis quasi brachiis, excepisse, erga Svecos nunquam satis laudandam humanitatem Gallorum.

Bibliothecæ enim, Academiæ, Collegia, Lutetiam venienti patent mox omnia. Atque in illa inter Parisienses contentione, quis plura, & majora in LVNDIVM conferret beneficia, vicit juris excellentissimus Doctor CLAVDIVS IRSONIVS, qui multa, & paucis cognita cum Nostro communicavit ad Jus Prætorium, Constitutiones principum, libros Digestorum, Institutiones, Codicem, Novellas, adeoque ad omne Jus Romanum spectantia. Admodum enim delectabatur IRSONIVS tam idoneo suarum rerum studiorumque socio. Sed ne, nimium in suos libros codicesque scriptos incumbendo, valetudinem corrumperet sedulus amicus, comitem eum sibi adjunxit, si vel aulam inviseret, vel Tribunalia & Parlamenta, vel summorum artificum officinas, quas plurimas ostentat urbs artium feraciſſima.

In quibus quum otiandi gratia, obiter versaretur Noster, quod tempus perpetuis laboribus supererat, amœnitati Gallicanæ linguæ tribuebat.

Triennium fere ad hoc tempus utilissimæ peregrinationi impenderat LVNDIVS, tot omnino laboribus, tantisque par itineribus, Qua enim erat, per omnem vitam, morum inte-

integritate, & animi constantia, Circæis illis Bacchi & Veneris devitatis poculis, effugit eos scopulos, quibus tentari solet quorundam peregrinantium valetudo, quam is illibatam magno Dei munere semper servavit.

Ut disceret tamen illud tantum bonum reverenter habere, quum in Italiam iter pedibus conficere meditaretur, corporis robur æquale vivacissimo ingenio sic declaraturus, admonitus est, tanquam e cœlo, jam diu satis alio, & peregrino sole exercitatum maceratumque fuisse corpus. Nam æstuans, & præter solitum fervens ac ferociens vena, nisi secta infectum emisisset sangvinem, cetera facile corripuisset.

Etiam in tempore impetum per Alpes excurrendi in Italiam, temperarunt intervenientes paternæ literæ, quibus admonetur carissimus filius, ut parentes & patriam cogitaret.

Hæc est altera, quæ, post Upsalienſem illam, incidit Nostro difficilior explicatu deliberatio.

Ut suos cogitaret, scripserat pater, &, adhibendo preces, rogaverat mater Lælia. Contra animo noscendæ antiquitatis cupido obversabantur, præter Romam ipsam, & tot in Italia magnificas urbes, illa, ad id tempus, exercitibus invia Hannibalis itinera, per nivosa, prærupta, & subeuntibus timenda montium fastigia. Obversabantur libri, codices, tabulæ,

colum-

columnæ Bibliothecæ Vaticanæ. Obversabantur, de quibus toties legerat, monumenta & momenta rerum cetera.

Et quid esset Gotho magis gratum, quam suis oculis videre suæ gentis fortitudinisque in hoc solo triumphantis & dominantis vestigia?

Quid literato homini jucundius, quam intuendo admirari stupendorum operum, vel in ipsis ruinis, cum his, quæ nobis perfecta habentur, etiamnum certantia rudera theatrorum, templorum, Janorum: ista tot fora, tot portas; ut qua vel senatus dabatur, vel qua triumphus in Capitolium deducendus cœperat, vel qua exibant, eadem, apud Cremeram flumen, clade simul perituri, spes urbis, trecenti Fabii; vel qua venerat denique septemtrionis Augusta, Christina Papales illustratura insulas?

Quis hæc talia, si posset, non videret?

Certe coram non visa, inque chartis picta delectant illa murorum urbis discrimina, Romuli, Servii Tullii & Aureliani Cæsaris.

At Vesuvius mons, ubi respirando per flammas & cineres se quandoque exonerat Vulcanus an Pluto, quem non alliceret?

Traxisse ea sane omnia LVNDIVM, constat; sed non pertraxisse. Ille enim æmulando constantiam Xenophontii Herculis, in eo Jovis filium vicit, quod, dum is vanæ & fictæ voluptati restitit, hic veræ, hoc est, maximis peregrinantium deliciis resisteret, decernendo tan-

tandem virtuti & pietati in parentes, cedere oportere & Romæ, & orbis universi miracula.

O memoranda & omnibus filiis serio inculcanda, servandaque obsequia!

Compositis itaque doctis suarum chartarum & observationum sarcinis, prius salutato IRSONIO, & reliquis suæ fortunæ patronis, Belgium utrumque, remeando peragravit, in fœderato paulisper subsistens, ut Hagæ Comitum, illa ejus reip. specula, diligentius contemplaretur potentissimi populi statum; ut cognosceret arcana illa Hollandiæ præsidia & potentiæ munimina: ut assequeretur, per omnes Oceani partes tam late navigantem commerciorum rationem: ut religiones, libertatis commoda, incommoda, fœdera & alia, quæ civilis prudentiæ studiosi, pernosceret.

Ne autem in Parentum desideria, ulla esset Nostro peccandi occasio, per moram heic loci diuturniorem, cavit pietati favens Numen.

Scilicet Hagæ tunc rem & negotia agens Sacræ Regiæ Majestatis patriæque publicus Sveciæ legatus, vir nobilissimus, ANDREAS APELBOM in tantum profuit domum festinanti, ut disceret paucis diebus ab eo LVNDIVS ea, quæ per multos annos, rogando scisitandoque vix expiscatus fuisset alius.

Potuerat itaque statim Belgium relinquere Noster. Sed quemadmodum ad Nos, Svecos, studiorum gratia, olim ventitantes exteri, nisi Upsalia salutata, & LVNDIO ac RVDBE-

CKIO discedere non debuerunt; ita neque apud Batavos, illo tempore, suo officio satisfeciſſet LVNDIVS, niſi Lugduni IOHANNEM FRIDERICVM GRONOVIVM vidiſſet. Sed vidit obiter, ut neque Amſtelodami per pietatem, feſtinatum iter procraſtinando diſtulit. Hamburgum itaque repetiit & Hafniam: ex cujus portu ſolvens in Scaniam trajecit, &, poſt quadriennii profectiones, ſe cariſſimis parentibus Junacopiæ amplexandum ſtitit.

Audito heic filii reditu, in ædes Patris congratulatum confluxere amici, vicini & collegæ, Aſſeſſores: quorum ſingulorum benivolentiam eruditæ ac ſapienter de rebus, a ſe extra patriam viſis & auditis differendo, ſic ſibi devinxit, ut monerent & hortarentur, vellet is ſua uti apud Regem commendatione in aliqua, in Dicaſterio, muneris parte obtinenda.

Sed ubi reſeraſſet Noſter pretioſos eruditionis ſuæ theſauros, oſtendiſſetque, quo apparatu, manu ſua ſcriptorum, codicum obſervationumque abundaret; iidem, qui ſvaſerant Junacopiæ maneret, jam impenſius diſſvadebant: ne juventuti, cujus in uſum iſta conquiſita ſuppellex, ſubtraheretur.

Annus agebatur ſexageſimus ſextus ſuperioris ſeculi, quo Junacopenſes in utramque partem conſultantes de LVNDIO, eum aut retinere conarentur, aut ad Academicos labores primo quoque tempore ſuſcipiendos abire hortarentur.

Vicit

Vicit, in tam pulchro exornandi juvandique Noſtrum ſtudio, pars eorum, qui maluerunt ſuæ urbis alumnum univerſæ patriæ, quam ſolis quaſi ſibi prodeſſe.

Quare Noſter, quia mens Februarius aderat, quo ante novennium tam auſpicato acceſſerat ad Academiam Upſalienſem, nunc idem iter, eodem anni tempore, ſibi ingrediendum eſſe putabat.

Non refert quidem, Auditores, horarum, dierum aut menſium facere diſcrimina: neque enim nobis probatur Romanorum quondam Pontificum vanitas, qua in quolibet menſe dies aliquot atri & infelices erant, quibus nihil ageretur: quum ſuperſtitio ſola fecerit, ne poſtridie Kalendas, Nonas aut Idus dimicandi gratia res fieret divina. Scilicet ſine cauſſa oderunt diem, qua urbs ab hoſtibus capta, aut Capitolium occupatum, aut qua Cannenſis accidit clades.

Hominum militumque ea culpa, non temporis.

Neſcio tamen qui fiat, ut, quemadmodum certa terrarum, ubi melius nobis fuit, præ ceteris placeant; ita illi dies, qui vitam, pacem, victorias, reges dederunt, aut aliter profuerunt, ante reliquos ſint cari. Nec conſtare nobis poteſt conſilium LVNDII, eo menſe bis adeundi Upſaliam, quo eam relinquit, & exſtinctus eſt; niſi credendum ſit, quum fuerit vir conſummatæ virtutis, voluiſſe fata, ut perfecto

rerum operumque in vita circulo, definitus annorum mensiumque orbis in ipsa morte responderet.

Upsaliam itaque rediens cœpit ipsis Kalendis Martiis anni, quem diximus, doctos disponere pluteos, in ordinem libros digerere, prioribus novos adponere, & diu duraturum instruere museum.

Sed ante Idus, hoc est, medium Martium, quam peregrinando quasi eluserat, adest ad fores ostia pultans fortuna, hominemque heic tam sollicite figentem lares evocat, & ad Londinensem, Scanorum Academiam, quæ nunc restauranda, Professorem abire mandat. Ac eodem simul tempore, ut experiretur, opinor, constantiam Nostri, Adjuncturam juris apud Upsalienses offert.

At tenax propositi LVNDIVS, quia & optio dabatur, & caritate se complectentium tot juvenum detinebatur, Adjuncti partes elegit. Biennio integro spartam, in Academia Upsalienſi durissimam, ea dexteritate administravit, ut ad Regias quoque aures perveniret fama recens facti doctoris, in docendo juventutem felicissimi.

Vos, Auditores optimi, fidem mihi vix habebitis, si dicam, posse quemquam, aut sibi, aut aliis nocere, summam rebus bene agendis adhibendo industriam.

Sed nocuisse sic tamen & sibi, & juventuti videbitur LVNDIVS, qui per nimiam illam

lam, & pleno ore omnium decantatam diligentiam ac doctrinam, invideri jam cœpit tantopere a se adamatæ Upsaliæ.

Arbitrabantur Dorpatenses urbem nostram satis habere splendoris ex suis BENZELIIS, STEVCHIIS, RVDBECKIIS, BRVNNERIS LOCCENIIS, SCHEFFERIS, ceterisque; eoque LVNDIVM sibi deberi contendebant. Id, inquam, agebant patroni Dorpatensis Lycei, ut professio juris Naturalis & Gentium Nostro demandaretur: ac Regis voluntatem interpretante illustrissimo Comite, & regni Senatore MAGNO GABRIELE DE LA GARDIANO, Academiæ Cancellario, adderetur dignitas & munus Adsessoris Livonici Dicasterii.

Obluctari amplius ultro oblatis Fortunæ beneficiis, ut non erat viri DEO & Regi obsequentissimi; ita non constat, quod Musarum Upsalienssium Numen tutelare tunc LVNDIVM nobis servarit.

Nostro interea gratissimum erat, & glorioſum, bis Professorem vocari, dum grave illud suæ adjuncturæ saxum, qua cœperat, assiduitate volveret ad annum millesimum sexcentesimum septuagesimum quartum: quo, honore geminato, vicariæ professionis, vicariique judicis, per Uplandias provincialis, suis honoribus reluctantem fere modestiam remuneraretur gratia Regis.

Tertio hinc anno vitam & stationem deserente OLAO AKERMANNO, Juris Patrii

ordinarius Professor factus est Noster: & licet duobus simul officiis unus ille satis sufficeret, ut totus tamen Academiæ, ejusque augendis commodis vacaret, provinciam juris dicundi, & regendorum finium arbitria aliis reliquit.

Fortunata illa dies erat, & Nostræ Academiæ salutaris, qua Sacra hæc Apollinis domus facundo LVNDII Spiritu afflari cœpit. Prælegendo certe, perorando, disputandoque verius in assensum & obsequia pertracta sunt hæc pulpita, hæ columnæ, hic cœtus auscultantium, quam ab Orphei lyra saltantes silvæ.

Quare hæc dies tota lacrimis destinata hoc habet, quod gratum est, ut memoria repetere nobis liceat in mortuo, mori nesciam, omni in negotio sapientiam incredibilem, illud tot laboribus oppugnatum, at invictum corporis robur: illam in collegas fidem, in cunctos denique mortales humanitatem, nunquam satis laudandam.

Recolit, & recolet grata memoria Senatus Academiæ Upsalienſis illa in Actis Consistorii descripta responsa, ab hoc data juris oraculo. Et plurimas illas agendorum dicendorumque formulas, quas reliquit quinquies Rector Magnificus, Palladii instar servabunt, & sequentur futuri in posterum Rectores omnes.

Sed privata quodammodo, & nobis propria magis hæc sunt merita viri maximi, si respexeris raræ doctrinæ æterna monumenta, quæ in omnium passim sunt manibus, suumque

que auctorem, dum honos literis & virtuti, immortalitati adserent, & vindicabunt.

Non loquor Panegyricos cum ISOCRATIS, aut PLINII in dicendo certantes majestate, nonOrationes funebres GYLLENSTOLPIANA, NORMANNIANA & aliorum complectentes vitæ decora, quæ summa tantorum virorum, dignitatis ac eruditionis fastigia ita exæquarunt, aut superarunt, ut illas legentes jure Hectoris Næviani utamur verbo; o quam præclarum a laudato laudari viro!

Non loquor dissertationes Academicas, inter quas illa eminet, in qua Regalis in terris potestatis majestatisque origo ipsi, unde est, vindicatur cœlo: hoc est, immotis rationibus consensuque populorum scriptorumque in unum ibi locum coactorum omnium ipsi DEO Opt. Max. tribuitur, non ulli hominum pacto factove.

Nec loquar animadversiones in WERELIANVM Lexicon, aut in Agapeti Pontificis literas, sine Nostri clave non intelligendas.

Ista, inquam, non loquar, quia sunt alia his longe majora, sed neque in hac, qua circumscribor, temporis & dicendorum angustia, nisi verbo mihi attingenda.

Quis enim breviter explicuerit illas longe lateque diffusas legum Uplandicarum & Westro-Gothicarum explicationes & notas: nam ibi Noster in unius nostræ gentis civili jure exponendo ita versatur, ut agere simul videatur de legibus nationum, populorumque universis.

Nec aliter agere potuit: si ex Svecanis, quas leges ætatem Platonis longe antecedere docet, vivendi normam mutuati sunt Ægyptii, Græci & Latini.

Titulos certe Svecani codicis percurrenti, præeunte LVNDIO, constabit, & sensum & verba legum tam Atticarum, quam duodecim apud Romanos tabularum, non aliunde esse desumta.

Verum Paulli & Papiniani rectius differrent de legibus. Sumant interim ex his iisdem libris historici, qui primi in Scandia Reges, qui legum conditores, qui ritus humandi cremandive mortuos, quæ prisca gentis sacra, qui Christianæ fidei in arctoo orbe auctores, huc e Germania missi Apostoli ac Episcopi, & hujus generis sexcenta alia. Hæc omnia si cupis tanquam in tabula videre expressa, evolvas librum, quem Zamolxin vocat Noster, a Getarum legislatore primo, desumto nomine: in illo concinna brevitate profundæ suæ eruditionis certa capita complexus est: quæ singula ordine, si diutius vixisset, distinctis voluminibus explicuisset.

Panduntur heic origines Hyperboreorum, natales Getarum Gothorumque: enumerantur ex hac populorum vagina hinc egressæ, & in reliquo orbe dominantes coloniæ: indicantur religionis & Philosophiæ Scythicæ dogmata, ad Europæ non solum, sed Asiæ cultores imitando translata: breviter dicam, ingentis historici operis epitome est LVNDIANVS Zamolxis.

Pri-

Primum illud, quod de legibus erat caput, uti dicebamus, duplici munere possidet patria, quam diu jus illud Uplandicum, & Westro-Gothicum, nostri manu & Latinum factum, & notis illustratum possidet: sed possedisset triplici, si *Themidis Hyperboreæ Pandectas* superstites haberemus.

Erat illud, erat quoque de *Jure Nat. & Gent.*; erant alia multa, typographi parata prelo opera, quum feralia urbis incendia, ante hos tredecim annos, cum templis, arce, curia, & reliquarum ædium parte maxima, LVNDIANOQVE Museo, illa tot bona, per flammas in cineres soluta, illo & nobis collacrimantibus, violenter auferrent. Unum restabat, isto in dolore, solatium, per alacritatem incomparabilis viri, resarciri posse atrocia illa publicæ rei, & litteris illata damna. Idque mox dedit ille precibus amicorum, ut veteres resumeret labores.

Verum quum omnibus iis, iterum perficiendis nulla ejus ætas satis longa esse posset, & S. Regiæ Majestati præstare videretur, si vel unum aliquod ad finem perduceret, quam inchoata & imperfecta relinqueret omnia; primum illud, & maxime necessarium, de legibus caput erat absolvendum Principis jam, & Patriæ futuro Ulpiano.

Erat olim hujus tanti incrementi non minima caussa celebratissimus ille LOCCENIVS, qui postquam deprehendisset paullo ante mortem, esse aliqua in versione legum regni provinciali-

um & ciuilium Latina, a se adornata, quæ limam postularent; eam ut & verbis, & verborum sensui adhiberet, moriens LOCCENIVS rogavit suum LVNDIVM.

Et ne differret ille preces LOCCENII, fecerunt mandata CAROLI XI. Regis glor. beatissimique.

Servat tales plures regia manu signatas literas lugens domus; in quibus ut res magnæ Nostro committuntur, ita illis inest duorum maximorum Regum CAROLI XI. & CAROLI XII. summiæ clementiæ evidentissima significatio.

Unis earum id tribuitur nostri ordinis antesignano auctoritatis, ut legum codicem, qui novis supplementis erat locupletandus, per actionum civilium casuumque diversitatem, suis, si quas haberet, illustraret observationibus. Habuit vero Noster, & intra hebdomada septimam volumen magnum addendarum rerum Augustissimo Regi obtulit.

Ita tum placere cœpit, jam diu amatus illustri & Regia munito auctoritate Juris in urbe principe Collegio, vir suæ professionis callentissimus, ut quum Collegium a se reformatæ legis titulos recensuisset, perfectissimi operis consortem hunc Nostrum vellet sibi adoptatum. Id enim egit Illustris ille, & luce CRONHIELMIANA nunc fulgens Juris consultorum cœtus, ut injungeretur laudatissimo seni, ante hoc triennium, a Regum optimo Augustissimoque, ut legales illas curas is una susciperet, suoque arbitrio, ut habent jussa Regis, ageret, quæ in rem juris essent patrii. Adiit

Adiit alacris & promtus eum laborem, qui a Decemviris Romanis ne decennio quidem integro fuisset confectus, & duobus fere annis (mirabile dictu) absolvit.

O incredibiles animi ignes! o vires in senili corpore admirandas! Erat, quæso, grandioris ætatis, quovis die e lecto surgere ante matutinam tertiam?

Erat unius capitis in illa infinita multitudine codicum & librorum, qua circumfusæ obruebantur fere dies noctesque scribentis manus, omnia recenti tenere memoria; singula suis tribuere locis?

Illi tot tituli, sectiones, paragraphi in omnium regum edictis, responsis, rescriptis, exceptionibus, dictis, sententis, privilegiis, literis: illa discrimina annorum, mensium, dierum, locorum, comitiorum, conventuum: illæ Regum Senatorum, Ordinum, Collegiorum subscriptiones: illæ toties annotandæ, & concinentes mille Divi & humani juris particulæ: illa cetera nobis incognita, an erant, quæso, unius hominis; an octogenarii senis?

Alterius certe non fuissent, quam Nostri, in quo inexhausta legendi aviditas: in quo prodigiosa memoria, quæ maxima, minima, in rem quamcunque, & tempus suggesserat: in quo illud denique & stili & sermonis flumen, ut nulla turbaretur in difficillimis quoque exprimendis tarditate.

Quare etiam tantillo tempore ingentes char-

chartarum acervos, sapiente rerum copia repletos, Noster cumulavit, confecitque.

Obstupuit rei magnitudinem recte æstimans sanctissima *Juris Societas*, quum antequam putaret, nec ab ullo hominum fieri posse videretur, inspiceret ad finem perductum immortalis in Patriam beneficii opus. Ideoque suo statim nomine non solum gratias egit Upsalienſi Scævolæ, sed & literis ad clementissimum Regem scriptis eum sic laudavit, ut honorificentius suæ doctrinæ prudentiæque testimonium post LVNDIVM, Professor quidem exspectare non debeat.

Est in illis vere aureis literis omnium LVNDIANORVM meritorum perfectissima commemoratio, commendatioque, qua honorandus senex, si Rex velit, dignitati quoque destinatur, ab eo non speratæ.

Noster, ut audivimus, quia non potuit in ipso juventæ ardore, & ea ætate, qua ad altiora rapimur, ullis fortunæ capi blandimentis neque nunc captus est. Usque adeo tamen venerabundus exosculatus est benignissima de se, omnis justi & æqui notitia excellentissimorum virorum judicia, ut fassus sit, majora se ab hominibus nec posse, nec debere accipere.

Superiori anno hanc nactus est Noster gaudendi materiam. Ast ut habet has vices mortalium vita, etiam post paullo dolendi maximam nactus est, erepta sibi per mortem tori omniumque fortunarum, & vitæ, per annos quinquaginta duos socia, primaria fœmina, GERTRVDE LOHRMANNA. Erat

Erat illa germana Soror WENDELIÆ, conjugis OLAVI RVDBECKII patris: qua Matrona, quum in illo sexu, inque illo ordine majus pietate, castitate, prudentia, affabilitate, inque omnes cum judicio promiscua benivolentia, & opitulandi obvio promtoque studio, nihil unquam viderit Upsalia, & GERTRVDIS Sororiarum virtutum imitatrix, & felix æmula fuerit; quanto sui, suæque domus bono spoliatus sit LVNDIVS, nemo non videt.

Utraque soror filia erat THOMÆ LOHRMANNI consulis, qui hujus THOMÆ parens, qui facit, ut integro fere seculo, per LOHRMANNORVM consulatus opidani magnis fruantur beneficiis.

Duxit GERTRVDEM uxorem Noster anno millesimo, sexcentesimo, sexagesimo secundo, cumque ea ad ipsam mortis diem felici concordia omnium conjunctissime vixit.

Supersunt, ex octodecim liberis fœcundissimi tori, duo filii, quorum alter IOHANNES, territorialis in Ostro-Gothia laudatissimus judex, paternæ familiæ nobilitatis splendorem addidit, nominibus & titulis LILLIENADLERI clarus. Alter, GVSTAVVS inter duces turmarum equestrium vir strenuus, acerbissimas hoc tempore in Muscovia captivus Parenti optimo soluturus est exsequias.

Ad viventium filiarum decora nihil videtur amplius addi posse, quam si dixero, eas omnes matris simillimas; & esse aut fuisse lecti

cti fœdere sociatas maritis, mitra Episcopali fulgentibus, aut iis, qui non multum ab ea dignitate absunt.

Sola MARGARETA, natu minima, virginalis modestiæ & castitatis decus, fortuna, quæ sororum est, longe est dignissima.

Nihil supereſt, Auditores, quod ego adjiciam ad jejunam de tanto viro narrationem, nisi forte Phidias aliquis, aut Lysippus experiri velit, quid sua ars valeat in formanda pulcherrimi corporis statua: cujus ideam, ne desit futuro operi exemplar, tum exhibeo, si voluero formam viro convenientem, justaque magnitudine, vultu ad gravitatem compositio, oculis igneis & acutis: membris, ut in robusto corpore, compactis. Tandem si animo respondebit effigies tota, ore, obtutu, manibus, pedibus sit in procinctu ad se movendum, & multa agenda.

Tale namque erat corpus Nostri ad superioris anni, & Novembris tenebricosas nebulas, viduoque insomnes noctes. Qui una aderamus in Consistorio Academico, VI. iduum Decembrium, quum quinto molestissimo Rectoratu defunctus, vale nobis Noster diceret, ne ultimum illud vale esset futurum, omnes metuebamus. Præsagiebat id mali vox debilior, & confessio tunc primum audita languoris.

Putabant aliqui, Rectoratus labores tunc timendam nobis acceleraturos cladem. At uno illo ictu, qui tot sustinuerat, concidere non poterat,

terat. Utque sensim juventutis magistri aliis inserviendo consumimur; ita non alia mortis causa fuit Patri LVNDIO, quam nobis exspectanda filiis.

Et quum vos intueor, Academici Procercs, in vestro vultu descriptos habeo LVNDIO tandem appropinquantes, & admotos mortis gradus.

Habetis, sed pauciſſimi, aliqua rubicundæ, & vernantis ætatis adhuc reliqua signa: at ante tempus delenda.

Magnæ parti Vestrum aridæ, & sine succo genæ sunt; aut rugis adducta & exarata frons, quam nati estis, plures annos, ut numeremus, facit. Aliis aut hebes, & obtusus visus factus est; aut subsidentes aures non magnum usum habent.

Estis, quibus continuo clamore, & vocis in docendo contentione attritus pulmo latera corrupit.

Etiam Vos estis tandem, quibus stagnans, & venis prodire nolens sanguis rigidos fecit artus, ut spiritum gressumque ægre moliamini.

Sed in his communibus docentium, aut propriis potius morbis miraculosi membrorum partiumque nexus erant in LVNDIO, qui tam diu resisteret, quibus nos omnes, opinor, conficiemur, & ipse confectus est laboribus.

Nam hoc solum inter nos interest, quod inter statuas Mercuriales, quarum quum idem sit munus, ut in trivio constitutæ ituris extenta manu viam monstrent; aliæ tamen aliis, pro materia, citius putrescunt. Ita

Ita nos desidendo, vigilando, errantes voce & consiliis ducendo, reducendo, atterimur, consumimur, perimus.

Facit compages; facit benignior natura, ut paucorum usus sit, quemadmodum Magni LVNDII, diuturnior.

Tandem tamen & illi, hoc anno decretoria dies mortisque adfuit vigesima secunda, olim felicis, nunc nobis infelicis Februarii: quæ Nestorem illum Academicum, & Ulpianum Suecanæ gentis, tum fere complentem annum septuagesimum septimum, placide & sine sensu mortis, salutaribus prius refectum epulis, obdormientem sustulit.

Emigravit mens e corporis sui hospitio, ad cœlestia, præsentibus HELENA & MARGARETA, pignoribus carissimis, apud quas exiens anima, jam tota cœlestis, ea concionabatur, quæ cogitando, non loquendo assequimur.

Præstolantes hunc exitum MICHAELIS in cœlo commilitones, angeli, ter quaterque concinentes Io triumphe, Io triumphe, opimam Christo victori prædam, in æternum felices ABRAHÆ sinus retulerunt.

Nos venerabundi capita tumulo Tuo, Pater desideratissime, acclinantes, hoc Tibi ultimum, hoc flebile vale dicimus: dicturi his, qui busta Tua prætereunt, intus condi Juris Consultorum, qui in Scandia unquam fuerunt, maximum, CAROLVM LVNDIVM.

PLANXI.

Num. IV.

Num. IV.

LAVDATIO FVNEBRIS,

QVA

POLYHISTORI MAGNO

ET MEDICO LONGE CELEBERRIMO,

DOMINO

OLAO RVDBECKIO

PATRI,

IN REGIA VNIVERSITATE VPSALIENSI SENIORI INCLITO, ET A MVLTIS ANNIS EIVSDEM CVRATORI INDVSTRISSIMO, NEC NON PROFESSORI HONORARIO EMERITO,

PRIDIE CALENDAS DECEMBREIS, ANNO TERTIO SVPRA MILLESIMVM SEPTINGENTESIMVM ILLVSTRISSIMA AVDITORVM CORONA CINCTVS, PRO INGENII FACVLTATE ET MODVLO PARENTAVIT,

Quam & nunc typis vulgandam luctui propinquissimis reverenter offert, inscribit & consecrat

JOHANNES ESBERGIVS,

S. S. THEOL. D. ET PROF. ORD. VPS.

LECTORI BENEVOLO

RECTOR ACADEMIAE VPSALIENSIS

JOH. ESBERGIVS,

S. D. P.

ANnus est, & quod excurrit, ex quo mortalium cœtui exemtum Virum immortalitate dignissimum, Professorem, dum viveret, longe Experientissimum atque Celeberrimum, DN. OLAVM RVDBECKIVM, Seniorem, Polyhistorem incomparabilem, atque ut inter Æsculapii filios proceresque sui seculi fere Principem, ita inter togatos Svionicæ gloriæ vindices Heroem multorum seculorum laudatissimum, desideratissimum. Cujus quidem obitus quanto inopinatior, tanto nobis acerbior contigit, quod in illud tempus incideret, quo Camenæ nostræ, ex recenti clade & fatali urbis incendio adhuc ægre colligentes animum, in luctu hærerent & squalore. Et quidni ejus Viri casum lugeremus, quem incomparabili labore ac industria litantem patriæ decori ac celebritati, immanique sumtu pariter ac studio

ſtudio univerſo orbi amœniſſimas Floræ divitias, an delicias? explicantem, primo quidem, intercedente veluti innoxiis conatibus Vulcani furore, a colophone, quod dicitur, deſideratiſſimis laboribus imponendo abſtrahi atque impediri; mox vero, quaſi non opera modo immortalia, ſed eorundem quoque auctorem nobis fata inviderent, adripi ipſum & exſtingvi ſenſimus, atque etiamnum cum dolore ſentimus? Dolorem loquor, Muſis Upſalenſibus quidem, ut quarum famam æque ac ſuam longiſſime extenderit, commendatiſſimum; ſed quem tamen, ſi vere cogitare velimus, ad totum ſeptentrionem, & auſim dicere ad univerſum etiam literatum orbem, quum illius gloriæ, hujus commodo velificatus fuerit, æquum eſt pertinere. Officium autem Tanto Viro debitum, quodque parentali peragendum cerimonia, magnis virtutibus ſupremum heic rependi ſolet, in tantum temporis protractum eſſe, id vero tale eſt, quod ego quidem, & quotquot una mecum ſummi Viri ſpirantis adhuc virtutes venerati ſunt, non mirari, ſed pæne indignari poſſemus; niſi alium poſtea intervenientem caſum,

priori non multo leviorem, retardasse hæc parentalia juxta nossemus; addo etiam, nisi hanc moram hoc, quidquid est solatii, pensaret, quod velut de industria id egisse fata videantur, ut illum Virum, cujus recens exanimati ingentes virtutes omnium percellerent animos, quæque adeo per se splendidæ ac laudis plenissimæ, etiam sine interprete se insinuantes, supra oblivionis metum positæ viderentur; ut illum, inquam Virum, annuo demum exacto spatio, plane quasi anniversarium sacrum peracturi, meritissimis præconiis mactaremus. Ego equidem, ut Beato Nostro summa quadam necessitudine devinctus, ita nominis Ejus justissimo amori pariter ac admirationi deditus, crediderim in ejus laudem nihil dici posse verius, quam quod a nemine laudari digne queat. At, quum nihilo secius supremi hujus exsequendi muneris provinciam derivatam in me voluerint ii, ad quos summa quidem ex hoc vulnere doloris acerbitas pertinet, perendinumque diem sollemnibus hisce peragendis constitutum habeamus: Reverendissimum Dn. Archiepiscopum atque Academiæ hujus Procancellarium

larium Eminentissimum, Perillustres ac Generosissimos Comites & Barones, universos denique Patres Civesque Academicos pariter ac Urbicos, summa, quaque par est, animi reverentia & humanitate rogamus atque obsecramus, dignentur dare hoc ipsum immortalis Viri meritis, dare RVDBECKIANI Nominis memoriæ, dare denique amori & obsequio, quo ipsum in medio nostrum adhuc versantem prosequuti sunt, quoque lugentem pariter familiam, & bene de Musis Upsalensibus, quotidie promerentem, haud dubie prosequuntur; ut die Martis, hora IX. ante meridiem, in Auditorio Gustaviano Majori frequentes adesse, meque Magni RVDBECKII Nostri laudibus decantandis alioquin imparem, sed qualicunque tamen panegyri suprema in Eum officia explere conantem, sua exoptatissima præsentia non tam honestare, quam firmare velint atque sublevare. P. P. Upsalis XXIX. Novembr. Anno tertio supra millesimum septingentesimum.

* * *

IN NOMINE IEHOVAE.

AVDITORES OPTIMI, MOESTISSIMI!

OPtassem, Auditores mœstissimi, ut florentissimæ olim, nunc eheu! gravissimo dolore perculsæ domus, & familiæ voluntate magis paratus & idoneus Orator, ad hoc parentationis munus esset delectus, qui hunc casum Academiæ acerbum, superstitibus luctuosum, gravem omnibus, digna facundia posset miserari, & tanti Herois virtutes, laudes & prodigiosam multarum disciplinarum, Historiæ, & antiquitatum notitiam, pari verborum majestate explicare posset. Ego enim, non solum meæ imbecillitatis conscientia, vestroque venerabili adspectu, nec non exspectationis magnitudine terreor, sed & dolore, qui mihi cum nobilissimæ domus propinquis & affinibus communis est, ita commoveor & perturbor, ut, unde incipiam, quæ potissimum afferam vel omittam, & ubi desinam, nihil habeam certi & constituti. Licet enim sanctus senex ante annum ad superos commigravit, non tamen doloris sensus evanuit, & vulnus, a ferali nuntio, in pectore alte difixum, tanto temporis intervallo coalescere potuit. Vel si aliqua modo fuisset oblivionis cicatrice obductum, hoc tamen parentationis, mihi impositum officium, illud refricuit, & quod in male sanatis vulneribus

ribus usu venire solet, dolorem geminavit, veteremque cum recente miscuit atque conjunxit. Me enim haud secus ac filium dilexit, & amplissima commendatione juvit semper & exornavit. Sicut igitur sancti viri vita mihi fuit utilis, svavis & jucunda, ita mors acerba & luctuosa, quæ mihi de laudibus ejus verba facturo impedimento est, ut ingenii qualemcunque aciem & facultatem, luctu retusam & oppressam erigere, & ut par est ad singula rerum ab eo gestarum momenta intendere nequeam, præsertim in tanta earum varietate & copia, quas universim mente complecti, inde singulas describere, partiri, suisque subjicere & constituere locis, & de omnibus copiose, accommodate, graviter, disserere, nec tamen tempus, quod ad dicendum datum ac definitum est, excedere, difficilimum esse intelligo, nec ab aliis exspectandum, nisi in palæstra Oratoria diu jactatis, & dicendi consvetudine, exercitatione & assiduitate ita subactis & promtis, ut quocunque inclinaverint res, eorumque judicium, eodem verba, sine sollicitatione, confertim & sponte confluant. Horum nihil vobis de me polliceri possum, qui ab ineunte ætate, aliud vitæ & studiorum genus, mea meorumque voluntate elegi, & nunc, ex muneris publici ratione, impensius sectari debeo. Quid igitur spectaverit nobilissima & mœstissima vidua, quod mihi, præ ceteris, has partes detulerat,

non equidem suspicari possum, nisi forte meam dicendi infantiam, magistratus, quo nunc fungor, dignitate solidari putaverit. Sed ne videar Nobilisimæ Matronæ, ut & propinquorum, de me optime meritorum, existimationem, supina ignavia, turpique officii fuga refellere & confutare, malui hoc onus, cum succumbendi periculo suscipere, quam illorum omnium concordibus suffragiis obniti, & obsequii laudem & gloriam alteri, mea culpa & recusandi pertinacia concedere. De eo, tamen Vos, Auditores Optimi, monendos duxi, ut quum omnes celeberrimi Rudbeckii, immortali memoria dignisimos conatus & labores, per singulas ætatis partes recensere fuerit operosum (quis enim tanti viri curas, unius Orationis modulo metabitur?) me præcipua tantum rerum momenta, veluti per transennam vobis ostensurum, & ut quodvis primum in memoriam inciderit, servata tamen, quatenus fieri possit, annorum serie, ita me unumquodque bona fide allaturum. Sicubi autem lapsus fuero, quod humanum, & in tanta rerum varietate proclive, per vestram vos obsecro gratiam & humanitatem summam, velitis communi ignoscere imbecillitati, & defectum pietatis sipario & velamine contegere.

Quemadmodum principia, cum suis effectis, ut plurimum consentiunt, ita magnis parentibus procreantur ejusdem indolis filii, qui geni-

genitorum affectus, mores, ſtudia, nec raro eandem corporis partium ſubtiliſſimam deſcriptionem lineamentorumque externam qualitatem imitantur. Idem in Olao Rudbeckio jure notamus. Natus enim eſt Patre Domino Johanne Rudbeckio, Sanctæ Theologiæ Doctore Summo, Diœceſeos Aroſienſis Præſule & Epiſcopo graviſſimo, qui avitam majorum ſuorum gloriam temporum fatali inclinatione, velut caligine quadam infuſcatam & pene exſtinctam, ſuæ virtutis & eruditionis ſplendore reſtituit, & Rudbeckianum nomen in Svecia acciſum, ab interitu & oblivione aſſeruit & vindicavit. In Holſatia autem, & Dania Rudbeckiorum nomen, per aliquot retro ſecula illuſtre fuit, & in Regum Ducumque aulis, conſiliis, & miniſteriis amplum ſemper, & per intervalla principem obtinuit locum, quod ex incorruptis monimentis, ad noſtram ætatem propagatis, demonſtratum eſt, & a nobis, qui hæc non ex ſubleſta narrantium fide, ſed Hiſtoricorum probatiſſimorum teſtimoniis hauſimus, demonſtrari poſſet, ſi res eſſet dubia. Arnoldus enim Hvitfeld Daniæ Cancellarius illuſtriſſimus in Annalibus meminit cujusdam Petri Olai Rudbecki, qui ſeculo abhinc tertio, Regis Erici Pomerani ætate, jus imaginis, a majoribus acceptum, Senatoria dignitate auxit, & teſſeram gentilitiam novis ſimulacris, & virtutum inſignibus locupletavit. Conſentit Oligerus

rus Jacobæus in obſervationibus de ranis & lacertis, qui laudatum Petrum Rudbeckium aulæ regiæ præfectum fuiſſe indicat. Ex quo intelligimus, tantæ proſapiæ celebritatem, temporis diuturnitate vel emortuam, vel ſopitam, per laudatum Epiſcopum, qui initio ſuperioris ſeculi caput exſerere, & procero incedere cothurno cœpit, quaſi vitam & vigorem antiquum recuperaſſe. Si genus reſpiciamus maternum, id tale & tantum fuiſſe deprehendimus, ut nullo cum alio, niſi cum Rudbeckiano nobiliſſimo ſangvine meruerit ac debuerit miſceri atque conjungi. Fuit enim noſtro mater Domina Magdalena Hyſing, quæ tot claruit virtutum ornamentis, quot ad conciliandum illi ſexui amorem, gratiam & dignitatem maximam, ſacra pagina requirit. Ex ſancta quippe inſtitutione concepit germanam pietatem, quæ poſtea fœcundum & numeroſum virtutum agmen, & exercitum excluſit, ad omnia officia lectiſſimæ virginis, & conjugis caſtiſſimæ, rite obeunda, undecunque paratum. Mitto nunc venuſtatem oris, cultumque corporis, ab omni luxu, ſuperbia, fuco & lenociniis alieniſſimum. His majoribus & parentibus, fauſto ſidere natus eſt RVDBECKIVS, Anno ſupra Milleſimum Sexcenteſimo Trigeſimo, eo fere articulo & momento, quo

\- - - - - *Titan*
Brumali flectens contorquet tempore currum
Curriculum nunquam defeſſo corpore ſedans.

Cujus

Cujus radiis incensa Lucina, spatiisque menstruis solem secuta, nunc crescendo, nunc moderatis deflexibus in initia recurrendo, in ultimis cœlo, citimis nobis regionibus, virtutem suam quam maxime exserere incipit. Qui blandus cœli adspectus, & omnium siderum, ad nostrum orbem refovendum, collustrandum & exhilarandum amicus consensus, recens nato infanti polliceri ac portendere videbatur ingenii, & eruditionis maximum incrementum, & Astronomicæ potissimum scientiæ prodigiosam peritiam. Hoc cœli, hujusque universi beneficium remunerari mihi voluisse visus est Celeberrimus RVDBEKIVS, dum stellarum ortus, obitus, Lunæ, Siderumque meandi admirabilem varietatem, suo calamo metatus est. Dolemus sane ejus, de universo Mundi systemate, periisse meditationes, quarum mentionem ipse fecerat in suis, de Cometis observationibus, ad Nobilissimum Dominum Nicolaum Heinsium, Fœderatæ Belgicæ Oratorem in Svecia nostra Ordinarium, transmissis, & postea publici juris & usus factis, per Generosum Dominum Stanislaum de Lubienietz, qui Theatrum Cometicum, opus sumtuosum & splendidum orbi erudito procuravit, eidemque laudatas observationes inseruit. Solis autem iter per cœlestia signa, ita descripsit, ut ad illud argute accommodaverit ænigmata Veterum, qui cœlestem & naturalem scientiam, sub ejus-

cemo-

cemodi verborum integumentis, fabularumque involucris & symbolis, ingeniose condere & velare sibi gloriæ duxerant. Quæ omnia hic Oedipus in Atlantica explicuit, & ita scienter ac apte, in signa cœlestia, aliasque res naturales contulit, ut nec priscæ ætatis sphingem, hoc est, in ænigmatum nexibus celandis ingeniosam solertiam, nec hujus in iisdem indagandis & solvendis admirandam, & prope divinam mentis subtilitatem atque acrimoniam satis dilaudare queamus. Simulac noster hac amœnissima luce in aura frui cœpit, ad fontem sacrum itum est. Vagientem vero in fasciis puerum, pro illius ætatis more, etiam hodie apud Hassos, aliosque populos usitato, suis ulnis gestavit Regum in orbe Maximus & Glorioſissimus GVSTAVVS ADOLPHVS, qui ultro citroque per Regni provincias, citatis Pegasis volans, ad Episcopum Arosiensem, ut semper divertere solebat, ita tum, velut cœlitus missus, ad infantem hunc suscipiendum opportune accessit. Magnum fuit incomparabilem Heroa atque Monarcham, vel semel, lare suo excepisse. Quis enim ignorat Germanos, ædes, in quibus magnus est diversatus GVSTAVVS, velut monumentum, quo nullum augustius & religiosius proferre possunt, advenis visendum pandere, & locum, in quo ultimum, in limine cunctatus, urgebat vestigium, curiosa indigitare manu, & adhuc eundem posteros, veluti tute-

ti tutelare Numen, & religionis, a papicolis, in ſummum periculum & diſcrimen adductæ ſtatorem venerari? At longe majus erat Regum Maximum ſæpius domo recepiſſe ſua, de quo ſibi Rudbeckiana familia jure gloriatur. Sed omnes, qui de tanti Regis gratia peculiari dimicant & certant, vincit OLAVS RVDBECKIVS, quem molli & Regio ſinu fovit, ad ſacrum laticem adtulit, gentiva labe mundatum recepit, & conceptis verbis rogatus, in gratiam, tutelam, & curam veluti paternam, ſtipulatione ſolenni adoptavit. Poſſem hæc pietatis ac clementiæ inuſitata pignora verbis fortaſſe amplificare, & de ſpirituali neceſſitudine, non illa pontificiorum ficta, ſed Chriſtiana inter fidejuſſorem, & fonte ſacro ſuſceptum inſtaurata, utiliter diſerere, & cum reliquis RVDBECKII ornamentis, quorum hæc maxima ſunt, conglutinare, ſed ne infantiam, partem vitæ & ætatis humanæ breviſſimam, in vita & reluctante natura, longius diducere, & reliquis ætatibus, ſermocinando exæquare voluiſſe videar, quo me rerum ſeries porro vehit, pari orationis paſſu, citra moram ſequar. Ineunte pueritia, ſtatim excelſæ indolis notabiles ſtricturas ſparſit. Neque enim res vanas & viles, ſed utiles ac honeſtas, cum puerili tamen delectamento conjunctas ſectabatur. Quoties a literis vacationem habuit, machinas paulo magis affabre, & ingenioſo artificio factas penitus conſideravit, & intellecto

totius

totius operis complexu, mox & ipse, perceptam subtili mente, totius operis descriptionem arguta manu imitatus est. Nullum enim obvenire poterat oculis, tot labyrinthis & ambagibus intricatum operis portentum, quod non Dædalus noster rimari, & imitando exprimere potuerat. Hujus suæ solertiæ specimen, sane luculentum prodidit, in primo pueritiæ ingressu, quo horologium ligneum construxit, horarum intervalla exacte distingvens malleolo, sonoram laminam pulsante, quo egregio filioli commento mirifice recreatus est venerabilis parens, gravi tum, ac fatali, ut postea ex eventu compertum est, morbo conflictatus. Nec tamen intra hæc studia pueri industria stetit, qui multas artes & disciplinas, suæ docilitatis vastissimis spaciis simul poterat capere atque complecti. Idcirco, cum aliis exercitiis, sponte arripuit artem pictoriam, in qua ita brevi tempore profecit, ut ab aliquo Zeuxide, Apelle, Aglaophonte, vel Parrhasio institutum putares, quum tamen hactenus, nullis nisi mutis, & monogrammis usus fuerit magistris. Sed has, & geminas artes, obiter tantum, perfunctorie & veluti ludibundus, literas vero serio, & ex instituto parentum ac suo, tanto successu tractavit, ut pares oppido paucos, superiores omnino nullos suæ ætatis habuerit. Et quo pueri, sponte currentis industria, aliorum æmulatione incitaretur, nec non igenii præstantia, dome-

domesticis satis cognita & probata, tanto magis inclarescceret, omnisque præterea arrogantia ac fastus, ex parentum dignitate suboleſcens ac pullulans, in herba, quod dicitur, exstingveretur, jussus est a prudentissimo parente, pari cum viliori conditionis Scholastici jure & disciplinæ severitate, Gymnasium Arosiense frequentare. Inter sodales autem cunctos tantum extulit Noster caput

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Hoc beati Episcopi saluberrimum institutum ejusmodi est, quod antiquam in liberis educandis severitatem morumque censuram ostendit, pariterque hujus seculi in deterius euntis lasciviam, fastidium, levitatem ac indulgentiam refellit atque arguit. Siquidem in hoc loco versor, non possum præterire memorabile exemplum & documentum, quod si omnes parentes morumque constituti censores studiose imitarentur, seculi nostri detestabilis, indies glisceus superbia paulatim concideret, excisis primus intumescentis fastus & arrogantiæ fibris. Instabat jam tempus, quo optimis parentibus placuit filium hunc natu minimum, fratribus adultis, ad Academiam nostram profecturis comitem & socium adjungere, & exuvias scholasticas, vestemque æneis fibulis constrictam, alia magis decora & splendida permutare, qua Noster indutus cœpit, equitans arundine longa, insolescere, & efferentis animi indicia

dicia nonnulla ostendere. Hanc puerilem jactantiam triplici vindicta, Cato noster repressit. Puerum enim adductum, primum virgis cædi jussit, inde veste, utpote superbiæ illecebra spoliari, postea fratrum, jam abitum parantium comitatu, quem cupide expetebat, per integrum annum excluſit. Hac severitate effectum est, ut ab illo tempore, in RVDBECKIO, nunquam apparuerit aliquod supercilii & arrogantiæ vestigium, sed tota ejus vita æquabilis, modesta, severa & constans fuerit. Si jam Cato viveres, quo animo esses laturus hujus mundi, ne quid gravius dicam, indulgentiam? Sicut enim in fastu, omnium malorum principio, ad vivum resecando, evellendo & exstirpando, tu totus incubuisti, ne in proceram excresceret arborem, quæ apicem inter nubila conderet, & stellas in suo cursu turbaret: ita multi inter se hodie, de principatu certant, in superbia liberis, sub lautitiæ sipario & larva ingeniose instillanda. Nam & liberos indecenter vestiunt, comunt & ornant, & comtos, mox tamquam pavones gestire & insolescere docent, & quam belli sint & formosi digitorum argutiis, & verborum intempestivis blandimentis & lenociniis admonent, quibus necesse est lubricam ætatem in sui detestabilem admirationem rapi, alios contemnere & se solos tanquam Numina colere ac venerari. Sed huic Nostro, ut ad eum revertamur, annus, quo,

ex sa-

ex sapientissimi Patris sententia, mulctatus est, tardius recedere visus, quem tamen more suo, insomni labore exegit, nam præter literas & artes modo commemoratas, etiam animum ad Musicam appulit, in qua fistulis & nervis, præcipue vero voce canendo, ita brevi tempore excelluit, ut cum peritissimis in hoc genere comparandum esse, omnes censuerint. Sonum enim ex imo pectore, per asperam arteriam immoderate profusam incredibili aurium gratia faucibus premere, fingere, varieque tractare potuit, a gracili ad gravem descendere, & per interjectos gradus rursus pari felicitate vocem revocare & nunc hac nunc illac sine errore transilire. Stentoream enim laterum firmitudinem, vocisque svavissimum obsequium illi natura comparavit, quod canendi assiduitate & exercitatione, adultior factus auxit & conservavit. Quis nostrum ignorat Reges nostros Clementissimos, regiasque Conjuges, cum tota Augusta familia, hujus Viri verendo carmine ita fuisse demulsos, ut nullum acroama fidibus ac tibiis festive emodulatum, hujus voci prætulerint. Inerat enim sono divina quæpiam vis, ad animos percellendos & horrorem sacrum injiciendum accommodato. Quam etiam Batavi experti sunt, qui cum semel Lugduni, in Templo Divi Petri canentem exaudissent RVDBECKIVM, tanta, sacris ad finem perductis, ad eum veluti Numen visendum

concurrebat multitudo, ut plateas & angiportus omnes, per quos illi eundum esse suspicabantur, conferta obsederit turba. Nihil enim, teste Tullio, tam facile in animos teneros atque molles influit, quam varii canendi soni, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Nam & incitat langventes, & langvefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Si quis autem putaverit tanto viro Musicam fuisse indignam, næ is ipse absurde & perverse de tam præclara facultate Deo & hominibus gratissima judicabit? Anne Socrates, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus, lyram in provecta etiam ætate tractavit? Quis nescit Achillem, Græcorum fortissimum, castrenses curas musico mitigasse concentu, & Alexandrum Magnum Orbis domitorem, citharam scienter pulsasse. Quem, nisi in historiis hospitem, fugit, Græcos censuisse, in nervorum vocumque cantibus summam eruditionem sitam esse, & Epaminondam Imperatorem excellentissimum fidibus præclare cecinisse, Themistoclem autem cum in epulis recusasset lyram, habitum esse indoctiorem? Quid dicam de Davide, qui rebus sacris lyricam Poësin festive accommodavit eaque divina mysteria & omnia, quæ Messias in assumenda carne nostræ salutis causa acturus passurusque esset, expressit & celebravit? Valeat ergo Antheas, Cytharum tyrannus, qui cum in convivio

vio Ismenias Musicus insignis, a discumbentibus effuse laudaretur, malle se inquit hinnientes equos, quam homines svaviter modulantes audire. Hac sua voluptate Antheas, & omnes illi similes fruantur, non eorum felicitati invidebimus, modo liceat nobis cum eorum gratia & pace Musicam retinere, quæ ut speculationibus variis est conjunctior, ita etiam animi contentionem relaxat & integrat, laborumque tædia & fastidia dissipat atque detergit. Non mirum itaque RVDBECKIVM, hujus dulcedine illectum, aliquam illi, subcisivis horis, operam dedisse, & ad severum, pium, & decentem usum adhibuisse, remoto omni histrionico gestu, qualem in multis vocem in scena venalem habentibus sæpe offendimus, qui cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent. Ceterum piget eorum erroribus, qui Musicam explodunt, atque hostili animo insectantur, refellendis terere tempus, quod nobis ad laudes RVDBECKII concessum est, qui tandem e carcere scholastico demissus, per omnes artes & disciplinas, quæ adolescentibus in hoc Musarum stadio & circo proponuntur libere vagari, viresque suas in singulis, maxime autem in Anatomicis periclitari cœpit, occasionem præbente Doctore Johanne Franck, qui juventutem cadaverum sectionibus & extispiciis, ea tempestate, ex muneris ratione exercuit, & ex cadavere humano, corporis ratio-

nem & constitutionem demonstravit. Hujus itaque abstrusæ scientiæ cupiditate incensus RVDBECKIVS, varii generis animalia undecunque comparata exenteravit, eorumque ilia, exta, fibras, nervos, arterias, venas, musculos, glandulas, omniumque membrorum subtilissimam coagmentationem cultro resolvit, inspexit & longe accuratiori discussioni & examini subjecit, quam vel a vetustis Medicis Hippocrate, Galeno, Democrito, Theophrasto, vel a quopiam recentiorum factum est; inque hoc studio perseveravit, donec novos salivales ductus, & vasa lymphatica, aliaque naturæ portenta, re & nomine olim inaudita reperisset, & longo intervallo post se reliquisset magistros suos, justa alios laude minime defraudandos,, qui ad RVDBECKIVM scisitandi & discendi gratia clam ventitabant, quibuscum suas rationes promte communicavit, inventionis conscientia & gloria ipse contentus, quam Thomas Bartholinus in Dania, Jolivius in Anglia, & in Belgio Bilsius illi dubiam reddere, sed frustra conati sunt. Arctoo tum imperavit orbi Christina Regina, susceptoris nostri Gustavi, Regum maximi filia, quæ RVDBECKII, tum per omnium ora volantis fama excitata, ejusdem in Anatomicis pervagatam scientiam experiri gestiebat. Musas itaque Upsalienses sæpius revisens, jussit RVDBECKIVM sibi, & illustrissimis Regni Senatoribus, aulicisque compluribus, quos circa se habuit,

habuit, referare ac pandere ea naturæ arcana, quæ continuis extispiciis indagaverat. Inducto itaque cadavere, de singulis ejus partibus copiose, enucleate, & visceratim disseruit. Cerebri, musculorum, glandularumque rationem exposuit: novumque salivalem ductum ante hac incompertum ad oculum ostendit: tum etiam de vasis serosis seu lymphaticis, aliisque naturæ occultis, sua industria detectis, ita disputavit, ut ex illis sectionibus Regina Augusta, Proceres Illustrissimi, & tota auditorum splendidissima corona solidam perceperint voluptatem. Hæ recentes observationes avide a curiosis spectatoribus exceptæ, non diu intra patriæ limites subsiterunt, sed per occultos nuncios, & ut quidam haud temere hariolantur & autumant, per studiosum Germanum, qui spectatorum se numero immiscuit, ad Thomam Bartholinum Anatomicum eo tempore accuratum perlatæ sunt, qui easdem postea pro suis, in vasorum lymphaticorum Historia Nova vulgavit, & inventionis laudem RVDBECKIO debitam ad se, improbo ausu revocavit & transtulit. Sed Æsculapius Noster temeritate & fraude hominis comperta, luculentis rationibus, & locupletissimis testibus hanc Bartholini arrogantiam revicit, simulatæque gloriæ opimas exuvias personato inventori detractas justo possessori vindicavit, & una cum reliquis ingenii sui maximis ornamentis DEO omnium bono-

rum auctori accepta retulit & dedicavit. Scio equidem plerosque Medicorum summos viros, de hoc invento altercantes & diffidentes, ita conciliare, ut inventionis gloriam ad utrosque integram & illibatam referant, fieri enim potuisse, ut iisdem intenti speculationibus, sententiis congruerent, & in eadem arcana simul inciderent, cum naturæ scrutinium omnibus æqualiter pateat. Quorum fortassis judicio nobis esset acquiescendum, si cum Hermanno Conringio & Günthero Schelhammer nobis concedant RVDBECKIVM accurata diligentia Bartholinum superasse, ut verba eorum consonant in Introductione ad artem Medicam universam. Interim tamen, æquis judicibus arbitrandum relinquo, utri inventionis gloria majori jure competat, asseratur Bartholinone, qui prorsus nihil nisi vulgare, umquam excogitavit, tritis saltem styli elegantiam & calami velocitatem accommodavit, an vero RVDBECKIO, qui omnium communi consensu multas res inauditas olim, callidissima naturæ periclitatione & examine investigavit, & in tot scientiis simul & artibus versatus omnes in eodem genere occupatos antecelluit ac superavit. Perpendite, inquam, fraudisne justa subsit suspicio, quod veteranus & detritus extispex, non prius hoc inventum pro suo venditare aliisque credendum obtrudere cœperit, quam esset Upsaliæ, in Augustæ Reginæ, Procerum, & aulicorum illu-

illustri præsentia, Professorum item & Studiosorum amplissima concione, a RVDBECKIO, sæpe repetitis sectionibus detectum, licet non dum publico scripto vulgatum. Neque enim RVDBECKIVS, naturæ scrutinio unice deditus otium sibi ad scribendum sumsit, nec quemquam ex eruditis tam improbum futurum præsagire potuit, ut ex suis inventis, subdole interversis laurum sibi necteret & complicaret. Submoto Bartholino, de Jolivio & Bilsio nihil laboramus, utpote quos eruditus orbis ab hujus inventionis & laudis societate atque participatione dudum exclusit. Ceterum CHRISTINA Augusta, quam harum inventionum testem, omni exceptione majorem, fortuna dederat, RVDBECKIVM, de visendis terris, alio sole calentibus sollicitum amplissimo mactavit stipendio, ut solidissimam, in omni scientiarum genere, præcipue Medicina, partam eruditionem, experientia confirmaret. Quanquam jam tum eam inter eruditos consecutus est famam, existimationem & celebritatem, ut cum præstantissimis in Europa viris, de palma certare posset. Excurrit itaque ad populos, studiis suo instituto servientibus clarissimos Batavos, ex quibus collegit splendidum & locupletissimum omnium artium & scientiarum apparatum, quem domum reversus, ad patriam exornandam liberaliter contulit. Machinas enim egregie concinnatas, quæ vel aqua, vel flatu, vel

pondere impelluntur, & automata, quæ principiis occultis operique inclusis reguntur, eas inquam omnes pictoria & mechanica arte, quas utrasque sibi ad hunc usum comparaverat, argute descripsit & subtilissimis imitamentis & simulacris refinxit atque expressit, quibus officinam suam mechanicam, magno impendio institutam instruxit & locupletavit, & quoties opus erat, ad privatos & publicos usus adhibuit, longe plures machinas etiam ipse excogitavit Cuius rei testimonia nostris oculis quotidie obversantur. Gustavianam enim ædem videmus cavea Anatomica eaque magnifica & superba, cujus parem Europa non habet, insessam, quam hujus Architecti industria sublimavit, æreis tegulis ac laminis operuit, tornato fastigiavit & clausit apice, qui horarum spatia & intervalla umbra, numeros stringente, accurate discernit. Hoc opus advenæ suspiciunt, ejusque ambitus, gradus, sinus & tabulata plumbeis calamis notare solent. Pontem ex transversis & decussatis trabibus ita coagmentavit, ut tota moles tecto, non autem palis nitatur, quos fluminis violentia spernit. Aqua enim in stirias & glaciem concreta, vernoque tempore frustillatim natans, nec raro in colles & cumulos congesta, verius ruens quam fluens, oppositas publicas crebris ictibus prosternit ac diluit. Hic pensilis pons, qui urbis vicos, fluminis intercursu diremtos communisit,

& op-

& opportunum civibus, cis & ultra amnem habitantibus commercium præbuit, mediocrique sumtu potuisset sartus tectusque ad urbis ornamentum & compendium conservari, dudum desideratur, maxime ab iis, qui borealem civitatis plagam occupant, & per lutulentas ambages, ad vicinos salutandos ultro citroque tendere coguntur. Mitto nunc officinas varias ab eo, cum maxima omnium utilitate & lucro institutas, sed nunc cum insigni & vix reparabili damno absumtas. Quis enim jam nobis restituet incudem, sub cujus malleo ferreæ & æneæ laminæ ducebantur, quas nunc vel aliunde mercari, vel informe metallum, alio cudendum transportare coguntur? Quis nobis lanificium & quod illi subservit prælum instaurabit? Quis nobis reficiet molam chartis fingendis accommodatam, aliaque artium excolendarum adminicula & præsidia aptissima, quæ vivo RVDBECKIO simul ire & vivere videbantur, nunc eodem exstincto quiescunt? Non jam attingo veloces & expeditas naves a RVDBECKIO constructas, quarum reciprocos cursus certis horis & moris descripsit & limitavit. Possent his adjungi alia mechanicæ artis miracula, quæ RVDBECKIVS vel invenit, vel ab aliis inventa illustravit, usuique privato & publico accommodavit. Cochleam Archimedes invenit, reclinem, hic perpendicularem & erectam, quæ striis fuleisque receptam aquam mirando artificio superne eructat. Incilia, quorum ope

montes & colles navigantur, ut & aquæ ductus & expressiones varias invenit. Horarium finxit noctu non minus, quam interdiu temporum intervalla & vices accurate indicans, Sculpere, tornare, & quorumvis generum mathematica instrumenta sua manu cudere & limare, non minus didicit, quam harum artium peritissimi opifices. Systemata organica, symphoniæ magistro obstructa reclusit, ut aversо olim, nunc adversо ad cœtum & populum vultu carmnis vel incipiendi, vel finiendi certissima omnia in specula captet, quibus auris sæpiuscule, oculus fere nunquam, nisi lippitudine corruptus decipitur. Quatuor & viginti distinctas machinas singulari & stupenda arte ita coagmentavit, ut unica rota omnes simul & seorsim, sine perturbatione regat & volvat. Navim quandam, ejusque incertos cursus ad horas sine errore indicandas aptavit. Ponticulum excogitavit valvis in medio clausum, quæ advenientibus sponte patuerunt. Pyrotechniam percalluit, & ad equestris ordinis liberale exercitium, nec non festorum celebritatem opportune adhibuit, in quem etiam finem sex & triginta tormenta, pleraque ex sincero metallo fusa sibi acquisivit, quæ cum cetero annorum splendido apparatu incendio conflagrarunt. Hæc RVDBECKII in inveniendis novis, & antiquis emendandis ingeniosa solertia labores ejus pene in immensum cumulavit. Nam in operibus majoris artis & modu-

moduli locandis vel refingendis, instruendis & ornandis ad eum tanquam alterum Dædalum vel Cherſiphrona itum eſt, ſine cujus conſcientia & diſpoſitione, nihil recte, exquiſite, & affabre a ceteris, utut exercitatiſſimis Architectis fieri poſſe credebatur. Quare cum beatiſſimi Regis & Monarchæ, CAROLI VNDECIMI coronationis feſtum eſſet per Regnum, omnesque illi ſubditas provincias indictum & promulgatum, RVDBECKIVS juſſus eſt omnem feſtivum apparatum, ex trabibus, tabulis, picturis, & vermiculatis emblematis conficiendum, in templo, arce, compitis procurare & inſtruere: Muſicum concentum ornare, & ut verbo rem totam comprehendam, omnia quæ ad dignitatem & ſplendorem tantæ pompæ Architectus, Pictor, Muſicus, & Pyrotechnites ſuppeditant, vel comparare vel regere. Hanc operam Rex remuneratus eſt ampliſſima delegatione pecuniarum, quas tamen ob ingraveſcentem temporum triſtitiam & calamitatem, quæ communem lætitiam excepit, ab Illuſtriſſimo Theſaurario fiſcique Regii promis condisque nobiliſſimis exigere diſtulit. Exſtant & alia multa Rudbeckianæ induſtriæ & diffuſæ artis præclara monimenta, ex quibus nonnulla repetam, quum ſingulis recenſendis ne dum pro dignitate laudanda vix dies ſufficiat. Machinam concinnavit ligneam, ad cujus imitationem exſtrui poſſet muni-

munimentum prope inexpugnabile, iisque operibus septum undique & clausum, ut modico præsidio, infinita hostium turba posset profligari atque repelli. Aquarum salientium ductus majusculos, quos Cicero Nilos, & minutiores, quos idem Euripos vocat, ex tubis erectis & papillis repandis constructos fluctuque primum concitatos, deinde cœptum fluxum perpetuantes, ad delectationes ususque varios aptavit. Navim invenit rota agilem, alis in prora expansis, quæ adversis & secundis ventis circumactæ, cursum ejus, quo intenderat gubernator, promoverunt. Vigiliarum & horarum discrimina exacte notabat lucerna, cui prætensi erant numeri ex candelæ decrementis horam indicantes. Instrumenta musica, cujusvis generis, ab eo comparata nec recensere, nec nominibus propriis distingvere possum. Quorum enim sonos vel manus elicit, vel pes temperat, vel cubitus exprimit, vel labia cient & inflata bucca regit, *impulsaque tympana palmis* edunt, ea inquam omnia, in peculiari cella reposita habuit. Armarium præterea suum collocupletavit pervetustis numismatibus, item urnis, quas ex tumulis & bustis erui curaverat, in quibus non tantum invenit priscorum heroum favillas & ossa, more majorum condita, sed & enses, partim æneos, partim ferreos, clavos denique nauticos, nec non cultros ex silice durissima edolatos. Præterea carbones

osten-

ostendit auri liquefacti stillis ac stiriis conspersos, quos ex fani veteris Upsaliæ, aliquoties incensis muris, commissuras eorum rimatus eduxit, cujus rei testes producerem multos, nisi res esset omnium fama & ore pervulgata. Mitto officinam, anatomicis & chirurgicis instrumentis refertam, & alia pene innumera, quæ admirari tantum possum, verbis autem aptis explicare aliis reservo. Si modo quisquam inveniatur ita copiosus & disertus, ut rerum simulacris, Latio, ne per somnium quidem oblatis, a nostra autem repertis, Latinum sciat cothurnum accommodare. Porro in Batavia, ex hortis, arbustis & seminariis nitidissimis, pro indole cujusque plantæ sibi grana, traduces & rumpos, nec non integras arbores ærumnosa industria acquisivit, ex quibus postea hortum botanicum sumtuoso labore constituit, quem fere totum una cum fundo, ædibus & plantis omnibus, sua manu satis Academiæ, ad perpetuam suæ liberalitatis memoriam donavit, ex quibus omnibus æstimare discimus animum RVDBECKII, qui propria emolumenta & compendia semper neglexit, & hortum plantis rarissimis, quas vel oriens vel occidens suppeditant, consitum, publicæ utilitati & ornamento consecravit. Sed hoc Rudbeckianæ liberalitatis & curiosæ diligentiæ monimentum, quod funesto incendio maximam partem conflagravit nunc filii nobilissimi & celeberri-

berrimi cura paulatim resurgit, & ex favillis lætus progerminat ac resloresçit. Intellexisse vos Auditores mœstissimi arbitror RVDBECKIVM apud exteros, exquisitissimis artibus operam dedisse omnesque ad patriæ nostræ commune decus & ornamentum transtulisse, e cujus sinu atque complexu nullis se præmiorum illecebris divelli & abstrahi passus est. Quum enim apud Belgas, rotundo ore adseverantes, parem RVDBECKIO nusquam terrarum inveniri, commemoraretur, tum inquam, a Galliarum Rege, per binos ejus Legatos, Dominos Comites Pompone, & la Fuquiere evocabatur ad regiam aulam; promissis quater mille imperialibus, quos illi quæstor ex regio fisco quotannis penderet. Sed Noster tantam gratiam & magnificam liberalitatem, amore patriæ, cujus se officiis totum accepto regio pignore obstrinxerat modeste, & qua par erat animi submissione recusavit, præoptans in Svecia, parabili victu contentus, apud consangvineos & propinquos degere, & acquisitam ærumnoso labore notitiam & experientiam, ad illam illustrandam applicare, quam in peregrino solo consenescere. Sarcinis itaque compositis, & figulinis urnis navigio impositis, in quibus peregrinas arbores, frutices, herbas, variique generis bulbos satos & conditos habuit, portu solvit, & incolumis Holmiam, inde vero Upsaliam delatus, mox affixo programmate cunctos, ad Priapum,

quem

quem peregre advexit, visendum invitat. Interea exspectat, & secum anxie perpendit atque deliberat, satisne esset domicilium capax & amplum ad recipiendum hospitum, undiquaque confluentium, confertam turbam. Sibi ipsi interdum succenset, quod non Auditorium Gustavianum majus, huic conventui præstituisset, vel saltim ædem privatam majoris moduli ad hunc usum comparasset. Sed brevis mora, animi secum rixantis curas omnes subito peremit atque discussit. Nam quod pudet fateri, ne unicus quidem ex tanta frequentia inventus est, qui lectissimis plantis, & exquisitissimis arboribus oculos pascere, earumque fragrantia olfactum delectare sustinuit. Quam repulsam, & juventutis, novarum alias rerum cupidæ supinam ignaviam, adeo ægre tulit, ut indignatio ipsi lacrymas suspiriis mixtas extorserit. Mox tamen se ipsum collegit animo pensiculans ignorata bona sperni, sola cognita affectari & concupisci. Ut igitur Botanicæ amorem, qui temporum inclinatione refrixit, in studiosæ pubis animis instauraret, hortum antea a nobis indigitatum, indefessa cura & diligentia plantavit, & ad illum splendorem tandem redegit, ut herbarum, fruticum & arborum copia & varietate, hortis propitiori cœlo subditis haud multum concederet. Asperitatem enim soli, & inclementiam cœli arte domuit, ignavamque & contumacem naturam mol-

mollissimo primum plantarum cubili, inde brumali tempore calefactis furnis, æstivo vasis & integumentis vitreis mitigavit & ad obsequia flexit. His ita constitutis, cœpit scholam ex umbra in apricum producere, & discipulos in hunc hortum introductos more veterum peripateticorum per areas arborum satu vel decussatas, vel in quincuncem digestas, deambulans docere, & de cujusque plantæ indole & virtutibus prolixe disputare. Quo callidissimo artificio Botanicæ studium, inertiæ situ obrutum & pene sepultum detersо squalore, & inveterato fastidio dissipato ita restituit & instauravit, ut non jam pristinam dignitatem recuperasse, se plane novam & in patria nostra ante hac inusitatam acquisivisse videretur. Hic inexspectatus successus mirifice placuit Illustrissimo ac Celsissimo Heroi ac Comiti, Domino GABRIELI de la GARDIE, Academiæ Cancellario benignissimo, & eruditorum omnium Mæcenati summo, Cui, quum RVDBECKII adhuc Adjuncti fortunam tardius suo voto & meritis ejus ire videretur, illumque oblatis maximis & amplissimis Principum & Rerumpublicarum præmiis stationem deserturum, tenuemque conditionem lauta & opipara commutaturum metueret, ex Livonia, ubi tum commorabatur, RVDBECKIO largam peram nummis argenteis fartam, una cum literis humaniter perscriptis misit, quibus RVDBECKIVM suum obsecrat,

secrat, ut in assignata statione persistat, nec sollicitationum assiduitate se vinci locoque moveri patiatur, brevi enim futurum, ut in patria dignam suis lucubrationibus & studiis mercedem ferat, interea pecuniolam sui favoris & benevolentiæ obsidem ac tesseram suscipere haud dedignetur. Ex his literis, & præclaris donis satis intellexerat prolixam Cancellarii summi erga se voluntatem & gratiam, sed ne munera suæ officerent libertati, quam facultatibus, quamvis amplissimis antiquiorem duxit, si Cancellario semper fruatur benigno. Qui paulo post, RVDBECKIVM Sacræ Regiæ Majestati ita commendavit, ut in Doctoris Johannis Francki, Botanices & Anatomiæ Professoris celeberimi locum sufficeretur. Ex his Adjuncturæ præludiis facile, Auditores optimi, suspicari potestis, quid Professor jam factus, & majori auctoritate munitus egerit. Attonitus pene intueor & prospicio mare, cui nunc me committere debeo, & prorsus nescio, quemadmodum ex hac rerum varietate me commode expediam, nisi majori fortuna, quam consilio utar. Crescentibus enim annis, RVDBECKIVS cum reliquis scientiis jam adultis, & ad maturitatem justam perductis conjunxit abstrusum & vastum antiquitatis, geographiæ & historiarum studium, in quibus singulis, perinde ac ceteris disciplinis & artibus ita excelluit, ut parem Svecia nec habuerit, nec forte olim

habitura erit. Quod tanto magis est admirandum, quanto majoribus erat curis & occupationibus quotidianis districtus, ut quando his meditationibus habuerit aliquod sepositum tempus, nisi forte nocturnum & antelucanum, prorsus nequeam exputare. Neque enim temporis brevitas cum scientiarum & negotiorum magnitudine congruit, & ullo pacto conciliari posse videtur. Nam haud multo post susceptam professionem, ex successionis ordine, & Senatus decreto fasces Academicos capessere debuit, quos propter spectatam in omnium negotiorum administratione prudentiam, fidem & dexteritatem, Illustrissimi Cancellarii voluntate & Professorum concordibus suffragiis integro anno gesit. Quo vix finito, a Sacra Regia Majestate, Academicæ civitatis curator perpetuus est constitutus, cujus munus erat sollicite providere, ne quid Academia caperet detrimenti, deinde utilitates ejus, quacunque honesta ratione procurare & augere, ædes collapsas reficere, novasque sicubi opus esset, constituere, & ut paucis multa complectar, omnes Academici status rationes integras & explicatas conservare. Qua autem fide, & admiranda diligentia hoc munere, usque ad fatalem horam functus sit, vel me tacente, res ipsa loquitur, & vos Patres Academici pleno ore testamini. Vos natu majores, quos Patrum loco veneror, haud dubie recordamini

per-

perplexas & perturbatas Academiæ rationes post fata Quæstoris Domini Magistri Boëtii Crusellii, qui morte præventus, codices accepti & expensi inchoatos, adversaria item dissipata ac vage disjecta reliquit. Has prope infinitis tricis involutas rationes, humana industria evolvi, ab omnibus est desperatum. Nec ullus repertus est, singulis varia causantibus, qui his labyrinthis suam industriam, filo abrupto, committere sustinuit; Tum RVDBECKIVS inquirendi laborem a ceteris recusatum herculea audacia aggressus est, eoque rem pertinaci studio & ærumnosa assiduitate perduxit, ut omnes rationes explicatas daret. Nec tamen interea a juventutis fideli institutione cessatum. Nam discipulos crebris sectionum experimentis & periclitationibus exercuit, docuitque rationem compingendi sceleta, quæ filis ferreis serico amictis, & quaquaversum divaricatis venarum, in humano corpore hinc inde excurrentium discrimina exacte repræsentant. Anatomiæ semper sociavit Botanologiam, tantopere a se adamatam, ut plantarum omnium, quoquot inveniri possent, singulas exasciatis lignorum duriusculis tabulis incisas prælo excudi curaverit. Sed & hoc opus ex undecim millibus plantarum iconibus coacervatum, & in templo cathedrali repositum, cum irreparabili damno, igni per urbem grassanti, & Basilicam tandem corripienti in prædam ac pabulum cessit, in quo elaborando

per quadraginta annos ſudatum eſt. His licet negotiis & curis implicitus, nihiloſecius antiquitates perſcrutari, & res a Gothis, populis in orbe clariſſimis geſtas, ab ultima hominum memoria repetere cœpit, ſecutus vetuſtatis veſtigia, in noſtris, Latinorum, Græcorum aliorumque populorum monimentis impreſſa, ſed ita leviter ac ſubſultim, ut eorum ductu atque indicio nullus, ad abſtruſæ veritatis cubilia pervenire potuerit, præter unicum RVDBECKIVM, qui ex his difficultatibus eluctatus eſt, atque ex principiis obſcuris, ſed ſua opera dilucidatis certam nobis ſcientiam conſtituit. Avet fortaſſis ſtudioſa juventus cognoſcere rationem, quam remotis obſtaculis, in veritate inveſtiganda obſervavit; Idcirco & hanc, ſi modo aſſequi potuero, vobis pandam, ſed paucis, ne aures veſtras auſcultando feſſas, meo agreſti & incomto ſermone diutius obtundam. Quum ſibi propoſuiſſet RVDBECKIVS, avitam majorum noſtrorum gloriam, ſpiſſa ignorantiæ caligine tectam & obſcuratam, e tenebris in lucem protrahere, ſuoque inſtituto obeſſe intellexiſſet parcam rerum, ab iis geſtarum ſuppellectilem, & notitiam, vernaculis literis & monimentis proditam, vetuſtas enim & religio maximam earum partem obliterarunt, reſiduam ſaxa & Scaldæ conſervant, tum inquam auctores Græcos & Latinos, inexhauſta alacritate, & profundo judicio evolvit,

vit, cum noſtris monimentis contulit, & unius ſcriptoris vel defectum ex altero reſarcivit, vel mentem obſcuram, ex alio dilucidavit, donec rerum ſerie, ex Græcis, Latinis & noſtris deducta, plenam aſſecutus eſſet noſtræ gentis hiſtoriam, quam in opere Atlantico, omnium ſcientiarum locupletiſſimo cimo, iis rationum præſidiis & munimentis vallatam congeſſit, ut nullis argumentis refelli, nec adactis machinis concuti & labefactari poſſit. Carpere fortaſſis aliqua obtrectatorum invidia auſit, ſed fundamenta, quibus ſuperſtructa nititur operis Atlantici moles, evertere fruſtra conabitur. Quamquam exiſtimaverim hoc opus, tanto cum eruditi orbis applauſu & conſenſu acceptum & probatum, omnem ſuperaſſe invidiam. Judicia enim clariſſimorum virorum de RVDBECKII lucubrationibus, hanc nobis ſecuritatem polliceri videntur, quibus & ego graviſſimam cenſuram CHRISTINÆ Reginæ Auguſtæ adjungam, cuius cum alias virtutes, tanta principe dignas, tum eruditionem, in mulieBri ſexu vel inauditam, vel certe rariſſimam mundus colit, & admiratur. Optandum itaque fuiſſet, ut tanta Regina, quæ Pontificiorum inſidiis & fraudibus tandem ſuccubuit, in patria & populari ſancta religione, pro qua magnus GVSTAVVS ADOLPHVS non dubitavit mortem oppetere, perſeveraſſet. Ceterum cum religionis levitas & inconſtantia,

non minuat testimonii atque judicii gravitatem, in causis, a religione separatis, illud celare & reticere nec volo, nec debeo, præsertim quum causa id postulet, & ego solus idoneus sim superstes, qui illud, hisce meis auribus perceptum vobiscum communicare possum. Superioris enim seculi anno octoagesimo & septimo, quum ætatis magnam partem Romæ contrivissem, & antiquorum monimentorum consideratione satiatus, de domuitione paranda cogitassem, ad Augustam Reginam cum socio, Plurimum Reverendo Domino Magistro Joanne Lechandro beato nunc cœli incola vocatus sum, quæ nobis clementer admisis manum regiam jugendam & svaviandam porrexit, & nobiscum sermones ferere non est dedignata, curiose imprimis requirens, cujates essemus, & quæ nos tempestas in Italiam & urbem vexisset? Augustæ nos & patriæ, & studiorum, & itineris rationem conferte exposuimus, quæ simulac intellexerat Upsaliæ nos complures vixisse annos, illico arrepta occasione, viveretne OLAVS RVDBECKIVS percontatur, Atlantici operis, cujus Tomus primus exierat, auctor celeberrimus? cui vivere nos eum arbitrari diximus. Tum illa, edidisse RVDBECKIVM ait, Atlanticæ suæ Tomum primum, qui indefessam lectionem, eruditionem summam, & judicii constantiam & acrimoniam stupendam sapit ac redolet. Quid dictu-

ctura fuisset, si & reliquas partes, post ejus fata editas, ipsi evolvendi fuisset potestas, ex his pronum fuerit augurari. Postremo, vereri se ait, ut satis dignum suis meritis præmium in Svecia ferat. Ita est Auditores mœstissimi. Nullam ejus meritorum partem, non referenda modo, sed ne quidem cogitanda gratia assequi Nos possumus, adsecuti tamen utrumque sunt Reges nostri Augustissimi, qui RVDBECKIVM summa clementia, & gratia plane singulari, & fere inusitata complexi sunt, quæ maximum censeri debet, in hac mortali statione, laborum & vigiliarum præmium. Quoties enim cum stupore audivimus RVDBECKIVM, purpuratorum agmini mixtum, cum Regibus Clementissimis seruisse sermones, pro re nata serios, & jocosos, audaculos nonnunquam, sed tamen tempestivos, gratos, facetos & lepidos, eaque gravitate castigatos, ut si secus aut dixisset aut fecisset RVDBECKIVS, nec Regis Majestati & indulgentiæ, nec RVDBECKII devotioni & libertati congruere, aut recte consultum videri posset. Nec in solo RVDBECKIO regia gratia desiit, sed adliberos, generos, imo & nepotes derivata est, quos omnes amplissimis honoribus affectos, partam dignitatem fide, industria & diligentia singulari tueri & exornare, summa cum voluptate cernimus. Sin autem præmia æstimemus redituum lucroso & splendido apparatu, fatemur RVDBECKIO

dignum suis meritis præmium numquam obtigisse. Sed in his nullam felicitatis partem umquam constituit. Non enim sibi tantam eruditionem, eo fine comparavit, ut ex lucubrationibus pecunias redigeret, more Sophistarum apud Græcos, quos non puduit literis, ad quæstum abuti, & ex scholis mercatum instituere turpem, illiberalem ac fraudulentum. Sed meritorum suorum largam mercedem in gratia DEI, officiorum conscientia, clementia Regum, eruditorum applausu, & famæ immortalitate posuit, quæ omnia ringentibus licet inimicis & obtrectatoribus, abunde consecutus est. Ceterum qualem RVDBECKIVM in negotiis publicis, talem etiam fumus experti in privatis, in quibus magnos alioqui viros, & de literis optime meritos sæpiuscule claudicasse novimus. Sed RVDBECKIVS in utrisque, pari usus est ratione & prudentia. Tori enim sibi sociam adjunxit lectissimam virginem WENDELAM LOHRMAN, hujus urbis Consulis Amplissimi filiam, cum qua animam, reique familiaris voluptates ac curas omnes divisit, & concordissime vixit per annos octo & quadraginta. Quam si pietate cum Hanna & Maria, sapientia cum Hulda, domesticarum rerum assidua procuratione cum Lucretia vel Marta, amore & fide erga maritum cum Artemisia & Sulpitia, Chelonia & Aspasia, castitate cum Susanna, liberalitate erga pauperes cum Thabea

bea & nunc luctus patientia cum Naëmi comparaverim, id quod res est mihi dixisse videor. Hoc Nobilissimorum conjugum par, non potuit alios suscipere, nisi indole magnos, educatione optimos, institutione sapientissimos liberos, propter domesticæ disciplinæ severitatem sanctissimam. Quis enim nescit RVDBECKIANAM domum fuisse virtutis theatrum, temperantiæ & frugalitatis officinam, eruditionis ludum, pietatis templum, afflictorum asylum, egenorum profugium, & totius urbis oraculum. Et si genitoribus debetur gratia, quod rempublicam augent civibus honestis, quis est qui non intelligit, etiam hoc nomine nos plurimum debere RVDBECKIO, qui utriusque sexus liberos clarissimos, & in his Nobilissimum, Amplissimum & Celeberrimum Dominum OLAVM RVDBECKIVM, collegam nostrum honoratissimum procreavit? in quo præcipue elucet & coruscat beati parentis virtutum & eruditionis viva imago & expressus studiorum consensus. Ante enim triste, & nostris Camœnis exitiosum incendium, inter aliam rarissimam suppellectilem, in repositorio tabulis & capsulis distincto conditam, habuit varii generis legumina, vaginis suis, folliculis & siliquis inclusa, eaque non solum in Svecia, illique subditis provinciis, sed in extrema India, & regionibus, solo fere nomine cognitis nata: Metallorum e montium visceribus erutorum admirabilem

varietatem: Saxorum & in his asbesti & bysi genera diversa, quæ sola Arcadia mittit: fungos, nec usu ne nomine notos, aliosque lascivientis naturæ tumores, sponte & præter consvetudinem e terra, & arboribus luxuriantibus pullulantes: Insectorum, imprimis vero papilionum, asilorum, vesparum, crabronum & similium, aculeis pungentium examen insigne in Svecia, Finlandia & Lapponia captum: Herbarium vivum geminum, alterum ex indigenis, alterum ex advenis plantis, iisque exquisitissimis compilatum, & diversis tomis insertum. Grandi volumine complexus est imagines avium, herbarum, fungorum, piscium & sylvestrium ferarum, tanta industria pictas & elaboratas, ut non te simulacra, sed res ipsas tueri crederes. Hunc autem Tomum Lapponiæ Illustratæ, quam inchoatam habemus, consumatam avide exspectamus, adjungere destinavit. Ad hæc accedit magnæ molis & accurationis opus, continens tricentas icones avium, earum potissimum, quæ Arctoo in orbe vagantur, in quarum descriptione, id præcipue est suspiciendum, quod omnes & singulæ, tam robustæ & proceræ, quales grues, ardeæ, bubones, aquilæ & similes, quam imbelles, parvæ & humiles, eam referant magnitudinem, membrorum modum & staturam, lineamen-

mentorumque ſpeciem, & qualitatem externam, quam illis natura indulſit. Viſendas etiam nobis propoſuit corporis humani partes balſamo conditas, & in his cerebrum, quod in ſaxeam duritiem pollinctoris arte concrevit. Taceo nunc vaſa lymphatica & lactea, arterias denique & venas mercurio turgidas, & complures avium exuvias tomento fartas, quæ intuentibus jucundiſſimum præbuerunt ſpectaculum. Quid in poſterum a tanto viro ſit exſpectandum non difficile fuerit augurari. Sed inſtituti ratio me a familiæ laudibus revocat ad virtutes hæri, quas, ſecutus veſtigia ſapientiſſimi Magiſtri JEſu Chriſti, ad duo capita redigam, ad dilectionem ſcilicet DEI, & caritatem proximi, in quibus omnes virtutes nominibus diſtinctæ congruunt. Si avemus cognoſcere, qua religione Deum coluerit RVDBECKIVS, inſpiciamus mores, fidei vel infucatæ, vel ſinceræ incorruptos teſtes. Quemadmodum enim aurum igne examinamus, arborem fructu probamus, amicos periculis experimur, ita fidei dignitatem ex vita cognoſcimus. At hæc fuit integra, inculpabilis & ſancta, atque e ſpecie fictæ & ſimulatæ pietatis alieniſſima, in adverſis & ſecundis eadem & ſibi undique conſentiens, quæ rerum fluxarum deſpicientiam, & fiduciam, in ſolo DEO poſitam atque defixam arguit. Quare quum arderent domus, cum lautiſſima ſuppelle-

pellectile, ex incendio sine ulla doloris & luctus significatione evasit ; Nec sequens tempus rerum amissarum desiderium instauravit apud virum quadratum, & constantem, qui probe novit opes, sibi in cœlo repositas, nullis flammis posse violari atque incendi. His erat contentus, reliquis quatenus licuit, ad moderatum & honestum familiæ usum, & pauperum solatium adhibuit. Sacris frequens interfuit : Cœlesti cibo animi desideria tempestive satiavit; & nomen domini corde, ore & opere sanctificavit. Sin requirimus qualis fuerit in proximum ; rursus ad vitæ testimonia recurrimus & provocamus, quæ germanam & sinceram caritatem non obscure produnt. Nam ut omnino nullum vel vultu, vel verbo læsit, ita ex adverso, cunctis, pro virium & facultatum modo opitulari & prodesse, nihil antiquius, nihil glorioſius duxit. Officinas varias, non tam lucri causa instituit, quam ut mendicantium numerus minueretur, & proletaria turba paullatim adsvescerct, famem honestis artibus & opificiis propulsare, & manibus, juxta divum Apostolum sibi suisque victum acquirere. Morbo laborantibus, operam suam sine mercede locavit. Consulentibus expediendæ salutis fida, promta & salutaria consilia dedit. Concordiam & pacem cum omnibus, maxime autem cum collegiis coluit, & laceſſitus, non maledictis

& ex-

& exsecrationibus, sed justa defensione, & Christiana patientia injuriam ultus est. Ea fuit modestia, ut dignis sua persona honoribus sponte abstinuerit & renuntiarit. Quod ut difficillimum est, ingeniis præsertim excellentioribus, quali præditus fuit RVDBECKIVS, ita continentem omnium cupiditatum moderationem, in ejus animo probat. Nam cum literis Illustrissimi & Celsissimi Cancellarii jussus esset, cum propter ætatem, tum merita, tum denique amplissimum curatoris munus, proximum a Rectore, in consessibus & processionibus occupare locum, invidiæ declinandæ causa, consvetum retinuit, nec umquam vel affectavit vel usurpavit honores, quos simultatibus alendis opportunos fore suspectaverat. Erga omnes erat comis & affabilis, vultu serenus, tranquillus, blandus & hilaris, jocis facetus & urbanus, & ne quidem inimicis, aliquo maledicto molestus & mordax. Gravitatem amœnissimo lepore, & comitate sic temperavit & miscuit, ut cunctis pariter esset verendus & amabilis, unde eum tamquam communem patrem, cives omnes, & nomine, & honore, & obsequio colebant. Valetudine erat firma, quam ipsi natura comparavit, ipse vero victus, laboris, quietis & somni frugalissima ratione, ita conservavit, ut nullis morbis periculosis & diuturnis infestaretur. Ex qua vitæ, & valetudinis integritate

efflo-

efflorvit forma eximia, & per omnes ætatis gradus venusta & inviolabilis, corpore erat procero, & membrorum congruentia & æquitate decoro, capite capaci & rotundo, cæsarie spissa, & capillorum fimbriis in humeros demissis, vultu longiusculo, genis purpureis, oculis vivacibus & nitidis, humeris & pectore latis, ventre paulo projectiore, cruribus & lacertis torosis ac robustiis. Ut multa paucis contraham: valetudo ei animi & corporis ita constitit, ut in neutro vitium, nævus & menda esset. Sed quum ea lege ingressus esset hujus mundi theatrum, ut fabula peracta, tandem exiret, partemque alteram terræ, omnium mortalium communi genitrici, alteram DEO, vitæ & spiritus auctori redderet, ita se gessit, ut nullo non tempore paratus esset excipere mortem, quæ ad præcordia, & valetudinem expugnandam, ardenti febri aditum munivit. Hæc autem superiori anno, mensis Septembris die duodecimo, senile corpus exagitare cœpit, & post tertium diem in societatem sollicitare ac rapere compunctiones pleuriticas, dextro potissimum lateri infestissimas, quas tamen, medicorum industria vel mitigavit vel sustulit. Æstuantem vero febrim, vel venæ incisione, vel sudando domare atque exstingvere frustra tentarunt. Quum itaque venerabilis senex sensisset morbum indies ingravescere, vires autem paulatim extenuari

nuari atque labascere, quæ erat mortis propinquæ omnia, portenta & præsagia certissima, adversus omnes tentationes, pectus, fidei clypeo armavit, & sacra cœna pastus & recreatus, fatalem terminum, intrepido animo exspectavit, qui postridie hora, matutino tempore quinta, imminuit viro, hujus fragilis vitæ ærumnis fesso, & æternam salutem, quam ipsi JEsus Christus suis meritis acquisivit, ardentibus suspiriis anhelanti, in cujus etiam manus spiritum corpore fugientem, firma fide commendavit. In hac fugacis vitæ statione duos & septuaginta annos, binos menses, tres hebdomadas, & quinque dies vixit, satis, ut videtur, pro humanæ ætatis modulo, satis sibi, satis denique gloriæ. Ea enim reliquit ingenii, eruditionis, virtutis, ac pietatis monimenta, quæ famam & memoriam ejus ab interitu & oblivione æternum vindicabunt. Sed si conatus & labores ejus respicimus, quibus suprema non accesserat manus, & emolumenta, quæ ejus cura, in omnes civitatis partes derivata sunt, nunc autem eo exstincto cessant, præpropero fato nobis ereptum esse cum luctu & lacrymis agnoscimus. Verum, ut pietati consentaneum est, voluntate divinæ acquiescere, & hunc acerbissimum casum moderate ingemiscere & lamentari; ita DEO Ter-Optimo Maximo supplices agere convenit

nit gratias, quod ad noſtræ gentis immortale decus & ornamentum, nobis tantum virum, nunc beatum cœli incolam conceſſerat, quantum in diverſo literarum genere, vix Europa habuit, incertum an poſthac habitura erit.

PLANXI.

Num. V.

Num. V.

LAVDATIO FVNEBRIS,

VIRI

AMPLISSIMI AC CELEBERRIMI

MICHAELIS ENE-MANNI

ORIENTALIVM LINGVARVM IN ACADEMIA VPSALENSI PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

DICTA

IN AVDITORIO GVSTAVIANO MAIORI,

DIE XXIX. NOVEMBRIS, ANNO CIↃDCCXIV.

AB

ERICO BENZELIO

ER. FILIO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-137946120-19/fragment/page=0217

SEmper etiam mihi acerba visa est & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant *a*) Non quod tanti esse putem diu in his terris vivere, ubi ut fragile ac caducum circumferimus corpus, & quibuscunque fortunæ telis exposita est vita nostra, ita nemo non prudens mallet, carcere hoc soluto, excussis vinculis ac compedibus, quibus adstringimur, evolare atque æternum duraturæ libertati adseri. Nec merito Theophrastum Eresium sub exitum vitæ naturam obtrectasse dixerimus, ideo quod cornicibus atque cervis vitam longam, homini autem brevem assignaveris, & is quidem centesimum septimum agens annum decessit. *b*) Sapientius omnino philosophorum veterum alii mortem esse optimum homini censuerunt, idque non tam suo & privato, quam communi & publico Deorum (quæ erat gentilium insana cæcitas) judicio: etenim Agamedes & Trophonius cum Appollini Delphis templum exædificavissent, venerantes Deum, petiisse feruntur mercedem operis laborisque sui, nihil quidem certi, sed quod esset optimum homini

a) Plinius lib. V. Ep. 5 *b*) Cicero Quæst. Tuscul. lib III. Philo Iud. lib. I. de Somniis p. 5. a 67. Diogenes Laër, vita Theoph. Hieron. Epist. 2. ad Neopotianum.

homini, id vero obtinuisse ut post ejus diei diem tertium morerentur. c) Adhæc Cleobin & Bitonem adolescentes, cum matrem, Argivam sacerdotem, ad solemne & statum sacrificium curru vehendam, deficientibus jumentis, ipsi jugum subeuntes ad fanum traxissent, eisque precaretur mater præmium pro pietate, quod maximum homini dari posset a Deo, somno se dedisse & mane inventos esse mortuos, accepimus. Socrates item, philosophus præstantissimus, apud suæ sectæ Æschinem, Deos rerum humanarum peritos, eos, quos maximi faciunt quam primum vita liberare ait. d) Non nunc advocabo sanctissima Dei vivi oracula, quæ multo apertius certiusque testantur de animæ nostræ immortalitate, de æternis nec ulla facundia humana edicendis, quæ pios manent, gaudiis, & quibus quantocyus inseri quis non nostrum mallet, quam diu in procelloso hoc oceano jactari? Non nunc advocabo cum obvia sint, contentus retulisse etiam τὸ ἔξω sic de vita hac judicasse quemadmodum de fabula: *non quam diu, sed quam bene acta sit, referre;* e) & *beatam mortem portum esse, in quem si quis intra primos annos deferatur, non magis queri debeat, quam qui cito navigabit.* f)

c) Æschines Socraticus Axiocho cap. 10. M. T. Cicero Quæst. Tusc. lib. 1. d) Axiocho, c. 9. confer. Sapientiæ c. 4. 14. e) Seneca Epist. 77. fine. f) idem Epist. 70.

Ceterum, ut ut tam triſtis ſit noſtra, peregrinantium dicam an exſulum, conditio, non poſſumus tamen quin morti immature nobis ereptorum illachrymemur, ſive illi parentes ſint, ſive conjuges: ſive reges naſcendi felicitate & rerum geſtarum magnitudine auguſti: ſive principes viri, qui conſiliis patriam juvare poſſent: ſive heroes, quibus ſanguinem pro patria profundere decorum fuit: ſive morum probitate ac doctrinâ conſpicui viri, quos in publica commoda immortale aliquid paraturos, non jam ſpem ſed prorſus fiduciam habuimus. Non invidemus illis ſuam felicitatem, ſed dolemus noſtram vicem, atque eorum ope & auxilio nos carituros; dolemus iis abreptis nobis videndum eſſe.

In viris doctis, quos plures aliquot jam annorum decurſu amiſimus, incredibile eſt quantum nuper ſui deſiderium nobis fecerit vir admodum reverendus & celeberrimus MICHAEL ENEMANNVS, Orr. Lingg. in hoc Athenæo Profeſſor Publicus. Si cujus unquam, hujus tanti viri mors acerba & immatura nobis viſa eſt. Vix eum complexi eramus, de reditu ex longinqua & periculoſa peregrinatione, de novo munere, de lectiſſima tori ſocia hilares ac læti gratulantes, cum pro ejus ſalute, publica ex pulpitis ſacris vota fundi, mox ære Campano mortem ejus nuntiari audiremus, mortuum efferri videremus. Credo,

vel

vel homini Stoico tam subita & inopinata viciſſitudo expreſiſſet lacrymas.

Cogitate, obſecro, navem ultimos ad Indos profectam, indeque pretioſis, aliisque quibus eget humana natura mercibus onuſtam, ſuperatis tot periculis, quæ vel irruentes eurusque notusque, vel impotens latronum manus objecerant, in portum feliciter advehi, illic vero mox naufragium facere, idque jam ſedente ad calculos negotiatore, nec leve ex fortunis ſuis lucrum ſibi promittente. Haud prorſus diſpar ratio beati ENEMANNI noſtratis mihi videtur. Transmarinas ille regiones & longiſſime diſſitas viſerat, multa illic collegerat & ſibi jucunda & patriæ profutura,

multum ille & terris jactatus & alto, g)

proſpera tandem uſus navigatione domum rediit; ſed vix ſalutatis laribus in portu periit. Periit dico, non ſibi, nam nunc demum vere vivit, ſed nobis. Multum nobis de viva voce & convictu tam egregii viri pollicebamur, ſed vix ſesquimenſis intererat, quod ei *ſalve* diximus, & *ſupremum vale.*

Perturbari me ſentio recordatione beati ENEMANNI, & niſi ex præparato dicerem verba deficerent, nunc vox non ſufficit, & animi, ſi quæ eſſe aſſolet, alacritas nulla prorſus. Dum lugubri habitu induta hæc ſubſellia,

g) Virgilius Aeneid. I.

dum pullata hæc roſtra Academica intueor, dum ex eo loco me verba facere cogito, idque parentaturus ENNEMANNO, ex quo proxime in ſolemni panegyri & maxima veſtrum, Patres Academici, frequentia, ipſo hoc theatro ad lætitiam compoſito ac ornato, graviter ac facunde peroravit idem ENEMANNVS, publicum docendi munus auſpicaturus, nova & inſolita ratione commoveor.

Sed, quia irrevocabilis eſt fatorum lex, & ferenda ſunt quæ mutari nequeunt, fungar ſupremo erga virum optimum officio, quo & meum leniam dolorem, & ſi fieri poſſet domus mœſtiſſimæ, cui & veteris amicitiæ uſu, & multis alioquin nominibus cum maxime obſtrictus ſum & obligatus.

Non ignoro quam non idoneus ſim Orator, ut qui ne quidem diſerti nomen tueri poſſim, nec natura ad ſublimes oratorias artes factus, nec uſu & exercitatione, ſine quibus parari nequeunt, eas aſſecutus; ſed quia uberem & copioſam ad dicendum materiam ipſa vita beati defuncti noſtratis mihi ſuppeditat, pro mediocritate quantulæcunque in dicendo facultatis meæ, plano & ſimplici ſtylo eam interpretabor. Interim propitias aures veſtras, Auditores Honoratiſſimi, expoſco & obteſtor.

De celeberrimo viro MICHAELE ENEMANNO dicturus, non omnia perſequar, longum enim foret, ſed præcipua quæque octo anno-

annorum apud exteros peregrinatione ab eo gesta sunt, immo & illa summatim, modo pauca de natalibus ejus prædixero & juvenilibus annis in celebri hac Academia actis. Parentes habuit non imaginum ac titulorum splendore illustres, nec opum affluentia nobiles, sed honestos, quique diligenti rerum domesticarum cura sibi suisque providerent. Pater fuit OLAVUS NICOLAI ENEMANNUS, civis itemque Senator urbis Enokopensis honoratissimus, mater probissima fœmina ANNA MICHAELIS WINGIA. Jam dudum actum foret de bonis artibus ac literis, immo de imperiis, si non nisi nascendi forte illustribus studia tractanda forent, & his unis emergendi facultas esset. præclare, ut multa, etiam hæc mihi dixisse videtur L. An. Seneca: *b) si quid aliud est in philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit.*

His itaque parentibus in lucem editus est in vicino oppido Enekopia, anno proxime superioris seculis sexto supra septuagesimum, ipsis kalendis Februariis.

Prodente se in puero mira & tenacis memoriæ & velocis ingenii vi, ex parentum voto Arosiam missus est, ubi cum plures annos doctissimis fidissimisque præceptoribus assidue operam dedisset, annum ætatis agens

b) Epistol. 44.

undeviceſimum ad commune hoc camœnarum Upſalenſium domicilium acceſſit. Heic quanta & morum ſvavitate, & vitæ integritate verſatus ſit, quam inſignia doctrinæ ſpecimina ediderit non operoſe commemorabo, cum obvia ſint, & ampliſſimus Philoſophorum Ordo teſtatus fuerit collata ei undecim hinc annis laurea Philoſophica.

Hac redimitus noſter non tumidus & inflatus integros ſe exhauſiſſe ſapientiæ fontes ſibi videbatur: nec ſegnis ac ignavus jacere cœpit, ſecurus modo quæ hucusque didicerat memoria tenere poſſet, etſi eſſent illa luculenta: non in potentiorum domos irrupit, quorum vel commendatione vel auxilio niti poſſet; ſed ita totum ſe ſtudiis ſacravit, ac ſi nunc primum ſerio his vacare velle videretur, cetera monitis ſanctiſſimi Vatis morem gerens: *commenda Domino vias tuas, ipſe faciet.*

Pridem ad ſanctiora atque Theologica ſtudia animum appulerat, & quia probe ei conſtabat, ut non ſine philoſophiæ ambitu, ita ſine philologiæ vario apparatu neutiquam ad intimiores receſſus aditum patere, itaque de linguarum Orientis ac Græciæ uberrima peritia comparanda inprimis ſollicitus erat. Theologiam vero ea aſſiduitate coluit, ut quidquid in illis proficeret ad hanc unam referret, & ex utilitate quam illuſtrandis difficilioribus ſacro-

rum

rum Bibliorum locis præstarent, earundem linguarum commoda metiretur.

Hac laudabili prorsus ratione triennium ferme exegit ENEMANNVS noster, idque in ædibus experientissimi & nobilissimi viri, OLAVI RVDBECKII FILII, cui cum machaoniæ artes hæreditariæ sint & maxime familiares, amœnissimi Philologiæ sacræ horti adeo non displicent, ut eorum cultura vehementissime capiatur, raro, si quid memini, Medicorum exemplo. Quotidiani ac familiares cum tanto viro sermones, & in diversum subinde abeuntes sententiæ, nostrum excitarunt ut accuratius singula perscrutaretur, multarumque rerum, quarum alioquin ire in cogitationem nequisset, notitiam sibi adquireret.

Tam multiplici & sacræ & exoticæ eruditionis apparatu non nunc imbutus sed instructus noster iter ad exteros suscepit, anno hujus seculi sexto, mense Julio, sacris tamen ordinibus primum initiatus a beatæ memoriæ Parente meo.

Non quidem egestas & notabilis angustia rerum nascentem eum circumsteterunt, destituebatur tamen patrimonio lauto, copioso, & tali quod sumptibus longinquæ peregrinationis sufficeret; Stockholmia itaque solvens Gryphiswaldiam navigabat. Invitabant annonæ copia & publice docentium fama, immo injunxit, quæ primo loco mihi memo-

randa fuiſſet, auguſtiſsimi Regis voluntas, qui pro ſua de integritate religionis Evangelicæ providentia nuper ſanxerat, inprimis hanc ſui juris Academiam adeundam Suecis noſtratibus ſtudiorum cauſſa Germaniam abeuntibus.

Diutius quidem quam initio conſtituerat Gryphiswaldiæ ſubſtitit noſter, compoſuit interim & typis excudendam dedit egregiam Diatriben *de ſalute Infantum ſine baptiſmo decedentium Chriſtianorum ac Gentilium.* Nunquam equidem laudaverim Pythagoreorum illud, ταῖς λεωφόροις μὴ βαδίζειν ὁδοῖς. *i*) ſi ita intellexere ut, ſpretis antiquis, novo dogmatum genere famam ingredi ſuos monerent. Et ſi unquam alibi certe in Theologia tritæ orbitæ inſiſtere par eſt, cum quæ minima initio videri poſſet declinatio, poſthac longiſsime a via regia nos abducet; ſed in ejusdem Theologiæ ampliſſimo complexu, cum plurimæ ſint quæſtiones, vel ſua ſponte ex aliis naſcentes, vel ab otioſis ingeniis excogitatæ ſubtiliter, quas contemnere non fas eſſe, penitus autem abſolviſſe nondum tutum ſatis judicarunt viri docti, optione relicta iis qui cum judicio & ad ductum ſanctiſſimorum Oraculorum easdem tractaverint, heic criminis poſtulare reos, qui a ſua diſſideant ſententia,

i) Philo Iud. Quod omnis probus liber. *initio.*

tia, iniquum existimo, ne quid gravius dicam. ENEMANNVS noster arduam hanc quæstionem ita tractat, ut novis rationibus muniat eorum judicia, qui de salute infantum gentilium bene sperandum censent, & immensæ benignitatis Divinæ vestigia undique agnoscunt ac cernui venerantur. Nec destituitur consensu summi nominis Theologorum Dannhawerorum, Hunniorum, Osiandrorum, Carpzoviorum, Scherzerorum. Septima kalendarum Martii erat, si Gregorianam sequimur computandi rationem, anno hujus seculi septimo, cum Dissertationem hanc suam non sine plausu & secundæ acclamationis favore publice tueretur. Hinc per Berolinum, urbem regiam Lutetiæ Parisiorum, ut sibi pollicentur cives, brevi futuram æmulam, & Wittebergam beati Doctoris Martini Lutheri cathedra ac viva conversatione quondam illustrem, Lipsiam venit vergente Martio mense. Erat in vicinia sereniſſimus Rex noster CAROLVS XII. qui belli cum AVGVSTO Rege & Electore Saxoniæ conficiendi causſa, Saxoniam Electoralem anno superiori ingressus, hybernis actis illic etiamnum subsistendum habuit. Erat per oppida & vicos dispositа numerosa nostrorum manus, immo tanta ut plures Svecos hospites vix junctim viderint Saxones: nam quæ auspiciis GVSTAVI MAGNI gloriosissimi regis ducebantur pro libertate religionis & civium co-

copiæ, non minus fœderato milite Germanico constabant quam Svecico; sed vix aliquem reperit noster cui spes suas commendaret, jam & magna sui parte accisum & amputatum erat nostri viaticum. Commodum itaque, illum sibi tuendum suscepit OLAVVS HERMELINVS Cancellariæ Regiæ Consiliarius, cui sollicite & amicissime commendatus erat tam ab illustrissimo viro ANDREA LEIONSTEDTIO, Regum maximi in aula Borussica tunc Oratore, cujus benevolentiam sibi conciliaverat ENEMANNVS Berolini, quam a maxime reverendo Doctore LAVRENTIO MOLINO, laudati Hermelini quondam in Academia Pernauviensi collega.

Requirebatur paullo post qui Collegio Ecclesiastico in aula Regia a secretis esset, *Notarium Consistorii Aulici* vocamus; tum ENEMANNI nostri ratio habita, huicque muneri admotus est v. kalend. Iulii. Ex hoc tempore notior esse cœpit & indies gratior piissimo Regi, apud quem alternis vicibus cum ordinariis Mystis sacra peragenda ab illo, cui officium cujus modo meminimus, injunctum.

Memorarem nunc quæ per Misniam, Lusatiam, Silesiam, Cujaviam, Poloniam, Lithuaniam, Siberiam, Ukraniam, Tartariæ loca deserta, & Podoliam itinera emensus sit noster proximo biennio & quod excurrit, id est quoad Benderam pervenit, nisi vererer ne

in

in longum excresceret oratio, & fide publicorum Actorum, quæ res gestas augustissimi Regis explicant, notiora essent. Id non tacebo, nullam eum prætermisisse ingenii exornandi occasionem. Arduæ & assiduæ erant officii administrandi rationes, itinerum per inhospita nonnunquam loca difficultates maximæ, sed nullus ei per otium dies effluxit, partes noctium studiis vindicabat. Si quid visu dignum, noster vidit & in commentarios retulit? Si liber rarior, vel pridem typis expressus, vel manu scriptus, noster eum versavit: si vir eruditionis fama ac opinione clarus, a nostro conveniebatur, quamvis passim in epistolis ad amicos queratur,

rari nantes in gurgite vasto.

Per Lusatiam iter cum faceret, id egit ut inquireret in origines & genium lingvæ Venedicæ, incolis, veterum Sclavorum propagini, vernaculæ, & a CAROLO IV. Imperatore in *Aurea*, quam vocant, *Bulla* Germanis suis magnopere commendatæ.

Görlicii, superioris Lusatiæ urbs est ad Nissam fluvium, non sine maxima voluptate vidit elegantissime fabricatum exemplar sepulchri sanctissimi Salvatoris nostri, & loca memorabilia passionis, duobus admodum hinc seculis mira diligentia depicta sumtibus Equitis Bohemi ne an Germani non habeo dicere, nam no-

nomen ejus reticetur: Bohemici autem juris ante pacem Pragensem fuisse Lusatiam utramque notum utique. Non puto intentioribus oculis contemplatum quondam fuisse Cebetem Thebanum in Saturni templo Athenis suspensam Tabulam, quam ENEMANNVS sepulchri hujus exemplar intueretur, nisi quod interprete haud egeret, utut coram nondum vidisset: etenim animo infixum fuit ex quo in patria hac Academia pulcerrima Dissertatione illud descripserat. Capiebatur itaque conspectu elegantissimæ imaginis; nam Asiam, Palæstinam & ipsa Hierosolyma sibi successu temporis adeunda, nec divinare potuit ENEMANNVS, nec Hetruscus aruspex prædixisset.

Victoriarum augustissimi Regis quotiens testis erat, ea cura in commentarios retulit, ut quis hos legit, illas coram videre ac contemplari sibi videatur. Erat autem bis, unius a Moschis reportatæ quarta nonarum Julii, anno hujus seculi octavo, ad Holowczinum in extremis Lithuaniæ, ubi Rex fortissimus non exspectatis pontonibus, nec amnem objectum trajiciens sed transnatans, ipse in primis, quartus enim erat ordine, cum delectis bis mille quingentis militibus quindecim millia hostium, duce MENSIKOVIO, in ulteriori ripa locatorum, fugavit, ac ita fugientium pressit vestigia, ut a quorum cervicibus miles gladium revocasset, vix vltra Borysthenem salvi sibi viderent.

rentur. Altera victoria cujus noster testis erat, de iisdem Moschis habita est Novembri mense ineunte, ejusdem anni, cum Desnam Siberiæ fluvium Rex victoriosissimus pari animo nec dispari cum discrimine superaret, in fugam conjecti, & suis, & fœderati Principis IOHANNIS MAZEPPÆ hostibus. Dixi non dispar fuisse discrimen, in fluvium enim tam præceps erat descensus, ut nisi longa funium ac restium serie in subjecta navigia miles se demittere nequiret.

Quæ pericula subierit ENEMANNVS noster in prœlio Pultavienſi, ipsi, Auditores optimi, cogitaveritis, conspectum cœli densitate globulorum ignitorum submovente. Si fuisset a furente milite immunis sacer sed inermis ecclesiasticorum ordo, quin & togatorum virorum corona, non amisissemus, vt alios taceam, illustrem virum & camœnarum dulce decus OLAVVM HERMELINVM, ante nobis laudatum, nunquam vero satis laudandum. Nunquam enim in tantum convalescet insscitia, nunquam sic contra humanitatem conjurabitur, ut non HERMELINI nomen venerabile maneat. Sed per ferrum, & ruinas, & ignes, illæsus ac indemnis ENEMANNVS evasit, & Regis augustissimi lateri se adjunxit.

Benderæ itaque cum aliquantulum fuisset, atque mittenda esset ad Imperatorem Turcicum

cum ACHMETEM III. legatio, ENEMANNVS noſter, cujus perſpecta erat pietas, doctrina & aſſiduitas, aptiſſimus viſus eſt, qui nobiliſſimo Oratori eſſet a ſacris, quique eodem tempore inquireret in fundamenta & ſtatum eccleſiæ Græcæ modernæ, atque lingvarum Turcicæ ac Arabicæ notitiam pararet. Ne vero tanta occupationum mole obrueretur, ſacris negotiis una curandis collega addebatur clariſſimus AGRELIVS Smolandus. Non licuit excuſare valetudinem haud firmam ſatis, vel oneris gravitatem. Pervicit voluntas Regia, & religioſa quæ utriusque pectora uſſit æternæ multorum ſalutis cura. Quis enim neſcit quot utriusque ſexus ex Ingria, cum eam initio belli popularetur, vel poſtea ex Livonia captivos abduxerit Moſchus, hinc Muſleminis turpi lucro vendiderit, tunc Conſtantinopoli partim, partim alibi in aulis magnatum Turcicorum ſub jugo gementeis & quod omni captivitate gravius, in æternæ ſalutis diſcrimen adductos? Quid autem Deo Opt. Max. gratius, quid homini glorioſius eſſe poteſt quam ſuccurrere laborantibus, & errantibus ac disjectis clarum Evangelicæ veritatis lumen oſtendere?

Urbem itaque ingreſſus anno hujus ſeculi nono, menſe Decembri, *orbis ſui Romam*, *k*) auſpi-

k) vide Sidon. Apollin. Paneg. ad Anth.

auſpiciis quidem Conſtantini Magni, Imperatoris, ſed induſtria ac labore Gothorum exſtructam, injuncti muneris partes ſedulus explevit. *l)* In miſerrimum captivorum genus omni ſollicitudine inquiſivit, aliis ad ſaniorem mentem redactis, aliis in veri Dei cultu confirmatis.

Quantum difficultatis ei ſuperandum fuerit in addiſcenda lingva Turcica, Tartaricæ originis ſicut ipſa gens, quam ex ea parte Tartariæ, quæ radicibus montis Caucaſi veri atque Araxe fluvio clauditur, prorupiſſe conſtat: veri dico Caucaſi, non illius temere ita dicti ab Alexandri Macedonis militibus. Quantum difficultatis, ut orſus eram dicere, ei ſuperandum fuerit, ſoli æſtimabunt, qui quam rari ſunt qui docere poſſunt non ignorant. Et quum nihil huic lingvæ affinitatis ſit cum ceteris Orientis eruditi, nec cum vulgaribus Europæ noſtræ, ipſi autem Turcæ non niſi ſuam calleant, quomodo aliter rem ſe habere putabimus? Interpretes Turcicos in aula Imperatoris ſi cogitamus, ſane ſumma illi in gratia, ſumma in opum affluentia, aliud omne agunt quam ut advenas inſtruant & informent. Arabicæ lingvæ non pœnitendam cognitionem prius ſibi adquiſiverat, & ad hanc Maronitarum opera, vel

P alio-

l) Iordanes Rebus Geticis cap. 21.

aliorum Christianorum, qui lingvæ Latinæ aliqualem, Italicæ paulo majorem peritiam ut plurimum habent, aditus proclivior.

Nec in lingvis solum addiscendis Nostri versabatur industria, sed etiam in æstimandis ingeniis, institutis ac moribus gentis vel gentium potius, quibuscum conversabatur. Nec enim unius gentis receptaculum esse putabimus Constantinopolim vastissimam ejusque suburbia, sed multarum, ortu, numinis cultu, vivendi ratione diversissimarum. Heic Turcæ domini, illic veteres coloni Græci, alio loco Judæorum numerosa turba. Quid memorabo Walachos, Moldavos, Tartaros latissime dominantes, Arabas, Syros, Ægyptios, aliosque partim in clientelam receptos, partim ferro subactos, quos in urbem regiam vel sua negotia vel Imperantis voluntas evocant?

Sæpius evenire videmus in peregrinatione vitam agentibus, quod multa hospitia habeant, nullas amicitias; verum aliter omnino ENEMANNO nostro contigit; multorum sibi amicitias conciliavit, conciliatas vario officiorum genere aluit ac fovit. Atqui inter viros dignitate munerum ac eruditionis gloria inclytos, quorum benevolentiam Constantinopoli meruit, fuere ATHANASIVS & CHRYSANTHVS, ille Constantinopoleos hic Hierosolymorum Archiepiscopus. Non dis-

fiten-

fitendum difficiliores ei initio fuisse Pontifices hosce Græcos, ideo quod ægre ferrent Othmannicorum animos ad bellum contra Moschos suscipiendum commoveri, idque in favorem, ut illi interpretabantur, sereniſſimi Regis nostri. Etenim cum nescio cujus vel traditionis paternæ, vel certæ prædictionis fide credant Orientales Christiani, ductu atque auspiciis Principis Borealis res suas restitutas iri, & tristissimam, quacum luctantur, sortem immutandam, Moschorum Tzarem ipsissimum fore avitæ libertatis suæ vindicem hariolari cœperunt, postquam res illius florentiores visæ sunt. Etsi non defuerint olim ejusdem ecclesiæ celeberrimi viri, qui eadem, Sibyllina ne dicam? oracula, ambiguis haud dubie concepta verbis, de augustissimis Monarchis Septentrionis, Sveciæ nostræ Regibus interpretati fuerint; cujus rei testis & Petrus Paulus Strasburgerus GVSTAVI MAGNI ad AMVRATHEM IV Orator, *m*) & Thomas Smithus ecclesiæ Anglicanæ Presbyter eruditissimus, *n*) nuper non sine insigni litterarum jactura Londini mortuus, quique Constantinopoli quadraginta admodum hinc annis vixit.

m) Monum. Virorum Illust. *Præfat.*

n) Miscellanea Curiosa Soc. Reg. Londin. Vol. III. p. 80. seqq.

Adhæc diversitas religiosi cultus nostrum ab initimiori familiaritate memoratorum Præsulum initio arcuit. Romanenses ægerrime ferunt, & tam publicis Conciliorum decretis, quam privato nomine editis scriptis graviter & acerbe eos insectantur. Reformatis subirascuntur propter editam Cyrilli Lucaris quondam Archiepiscopi Constantinopolitani, quin & totius ecclesiæ Græcæ nomine Confessionem Fidei, a doctrina eorum publica adeo diversam. Cum Evangelicis nostratibus per quam exigua ei fuerunt commercia; nec alia quam quæ vel olim Wirtembergicis ac Tubingensibus Theologis intercessere cum Jeremia Constantinopolitano, vel nuperrime Regiomontanos cum Græcis quibusdam junxerunt.

Et quis juste queratur tanta locorum intercapedine minus cognitam fuisse indolem religionis, quam immortali Dei O. M. beneficio ultimus Septentrio noster profitetur; Meditabatur quidem secum IOHANNES III. Rex olim Sveciæ legationem Constantinopolim mittere ad uniendos ecclesiarum Orientis ac patriæ nostræ ritus, & hunc in finem ERICVM Episcopum Aboënsem Oratorem futurum equestri dignitate ornaverat; o) sed sive CATHARINÆ IAGELLONIÆ conjugis

o) Ioan. Bazius Inventario H. Eccl. III. c. 35.

gis Regiæ precibus, sive Antonii Possevini suggestionibus consilium hoc tanquam in herba vel flore præceptum, & Orator alius ad Gregorium XIII. veteris Romæ Papam submissus. *p*)

Verum enim vero Evangelicæ Svecicæque ecclesiæ nostratis dogmata, Divina auctoritate & magno Patrum vetustissimorum consensu munita, postquam Græcis penitius constare cœperunt, adeo non præcludebatur aditus, ut pateret facilis.

Muhammedanorum animos sibi conciliasse nostrum miraremur, nisi morum gratia & solida bonarum artium scientia nobis perspectæ essent. Tantis autem ENEMANNI, & quod miraculi loco eis erat gelido sub axe nati dotibus adeo capiebantur Muderritzii sive Professores litterarum publici, ut de officiis præstandis invicem certarent. Quid ex eorum conversatione profecerit, partim intelleximus ex doctissima Oratione, qua suam Professionem Linguarum Orr. auspicabatur.

Recordamini, opinor, Auditores Honoratissimi, quam acerbe eorum vicem do-

p) Ioannis III. Reg. Svec. Epistol. ad Vincentium Laureum Nunt. Apost. 1578. 15. Maji. *MS.* Stanislai Reschii Epist. ad Mart. Cromerum. Romæ 1577. 1. Iunii *MS.*

luerit, quam copiose putidissimos Muhammedanæ sectæ errores refutarit; sed non dubito quin eodem loco candorem viri agnoveritis, multa insulsa atque insipida perperam & falso eis affingi ingenue fatentis. Quotus autem quisque præsumtam de adversariis ac dissentientibus opinionem, saltem longa temporum præscriptione & magnorum virorum auctoritate confirmatam, utut falsa sit atque vana, sollicitare ne dicam refutare audet?

Tanta cum voluptate & tam ubere fructu Constantinopoli sesquialtero fere anno cum egisset ENEMANNVS, itineri in Orientem se accinxit. Sumtus, qui requirebantur, munificentissimi Regis providentia subministravit. Septembris mensis erat jam proclivus in Octobrem, anno hujusce seculi undecimo, cum Constantinopoli solveret, & aditis Trojæ Iliique ruinis, & quidquid vel continentis terræ vel insularum Ægei maris Græciæ olim coloni Asiatici suis sive rebus gestis sive carminibus nobilitarunt, Smyrnam Asiæ quondam metropolim delatus est.

Invitabant urbis florentissimæ commercia, loci amœnitas, veterum monumentorum Græciæ reliquiæ, ut duos menses integros Smyrnæ noster subsisteret, miram experi-

pertus humanitatem ac benevolentiam amplisimi viri GVILIELMI SHERARDI, Britannici apud Smyrnenses Consulis meritisimi, cujus ut & reliquorum consulum Europæorum apud ipsos Orientales auctoritas quanta sit, peritiores non ignorant.

Posthæc in vicinam Chium insulam profectus, asperas & importuosas Archipelagi insulas atque hinc Mediterranei maris littora prætervectus Tripolim Syriæ venit. Nam quominus recta Ægyptum contenderet prohibebant, quæ nunquam non mare a meridionali parte infestum reddunt, Barbarorum excursiones piraticæ. Hinc Alexandriam Ægypti vectus, quondam sapientiæ humanæ omnis sedem, lustratisque his, quæ vel nostri temporis historiam illustrarent, vel veterum scriptis facem præferrent Cairum abiit. Heic dissuadere cœperunt amici, ne Arabiam peteret, aliis valetudinem non usque firmam, aliis incommoda itineris his, quæ vel mari vel terra hactenus perpessus fuerat graviora memorantibus; sed vicit incredibilis ardor visendi locum, quo absolutisimam sanctisimamque Legem Deus immortalis Mose interprete promulgavit. Abiit itaque unius Arabis fidei se committens, atque salvus & incolumis Cairum reversus est, nisi quod intolerabilis æstus, qui vel Aprili men-

se nostro, per arenosos campos hosce transeunteis vexat, ei paullo nocentior esset.

Utinam, o! utinam viveres ENEMANNE, haberent nunc Cives Academici TE mirandi exitus Populi Judaici, ex eadem Ægypti parte, & rerum in desertis atque montosis Arabiæ locis per integros quadraginta annos gestarum interpretem fidum & copiosum: hæc etenim TE explicaturum publico Prælectionum Academicarum programmate pollicitus es. Obruimur commentatorum exitus Judaici copia ac multitudine, sed paucos habemus, qui ipsi hæc loca calcarint, viderint, & qua par est cura descripserint. Multorum instar nobis fuisses ENEMANNE desideratissime. Solus & unicus Svecorum, nostra quidem memoria, deserta hæc Arabiæ loca ingressus es: sinum maris sive Rubrum illud sive Arabicum appellare malimus transmisisti, idque eadem tempestate anni, qua olim triumphantium more transivit gens Judaica: tu montis Horeb excelsam & præsentia Numinis tremendam rupem Sinai conscendisti: tot alia manifestissima Divinæ potentiæ ac majestatis indicia tuis vidisti oculis. Quam vellem ac percuperem a tuo nunc ore pendere ENEMANNE! vel ab hac parte mors tua mihi immatura visa est.

Cete-

Ceterum Cairum reversus noster, ne tum quidem perdendi temporis causas consectabatur, sed vel in linguam Copticam & veterum incolarum ritus sacros inquisivit, vel Iudæorum arculas litterarias excussit. Utriusque autem sectæ tam Rabbaniticæ, quam Carraiticæ ea junctim Cairi multitudo & frequentia, ut dubium esse credam, plures ne sint Iudæi in vniversa & qua qua patet Europa. *q*) Visis, quæ advenarum oculos allicere solent, fornacibus, ubi ex lento igne calescentibus ovis pullos excludi gaudent Cairenses, visis sepulchris atque mumiis, visa superba Pyramidum Memphiticarum structura, secundo Nilo Damiatam primo hinc in Palæstinam navigavit. Venerat Joppen, & jam mox Hierosolyma abire animus erat; sed objecerat se mediam scelerata Arabum latronum manus, exigens pro libero ac immuni transitu, unius diei itinere, quingen-

q) Nic. Chr. Radzivili Peregrin. Hieros. Epistol. Tertia pag. 159. Samuelis ben Iemsel Iudæi Carraitæ Itinerarium *MS.*

tos thaleros imperiales, & quos solviſſe non minus periculoſum erat. Alius nec levior ille luctus noſtrum nunc excepit morte nobiliſſimi viri IOHANNIS SILFVERKRANTZII. Animos eorum in ſocietatem præclara quævis, & ſeculum non minus quum patriam noſtram illuſtratura, diſcendi par voluntas traxerat, & jam annum, id eſt ex quo Conſtantinopoli diſceſſum eſt, comites itineris fuerant. Noſter vero cum Joppe ſubſiſteret, de Hieroſolymitano itinere anxius atque ſollicitus, ſuis negotiis conſulturus SILFVERKRANTZIVS Achream Syriæ abiit, veterum Ptolemaida, & illic contagioſa lue correptus intra proximum octiduum obiit. Illachrymabatur funeri amici conjunctiſſimi ENEMANNVS ita, ut jam ipſe vim febris, lentæ tamen, ſentiret. Illa dehinc ſe remittente Hieroſolyma adſcendit.

Non memorabo loca Terræ Sanctæ, quæ noſter adiit, omnia enim mihi memoranda forent. Nec expoſita tantum & quæ ſponte oculis transeuntium ſe ingerunt, vidit, ſed,

quid-

quidquid historiam & sacram & naturalem illustraret, accurate observavit. Si de loci notabilis distantia dubium erat, horologii ope eam metiebatur, si de justo in chartis Geographicis situ, pyxis nautica ad manus erat. Atque interdiu cum propter harpyas Arabes minus securum esset, multa immo concubia nocte excurrere cogebatur. Quam vellem ut plures ENEMANNOS haberemus, vel diuturnior nobis ENEMANNI nostri usus fuisset!

Non sunt parum multi, fateor, qui quondam fertilissimam beatissimamque nunc omnium infelicissimam Palæstinam descripserunt, sed qui pari diligentia usus fuerit, scio neminem; nisi ab ea parte laudem merentur, quod *religiosorum*, uti audiunt, qui vel Hierosolymis, vel in celebrioribus locis reliquis versantur, meminerint: quod lampadas ac quidquid donariorum devotus hospes sed superstitiosus suspendit, numerarint: quod locorum ab incolis ostensorum meminerint operosius quam utilius ac verius. Ex quo enim quæstus esse incœpit Locorum Sacrorum con-

spe-

ſpectus, nova indies adinvenit ſpes lucri, antiquis ne memorata quidem, unde factum ut in veris ac genuinis dignoſcendis non exiguo opus ſit judicio. Horum tamen ſi nulla hodieque ſupereſſe aliqui audacius contendunt, hi ſomniant. Iidem qui ante hos bis mille annos Romæ urbis ambitu continebantur ſeptem colles hodieque ſuperſunt, idem Tiberis fluvius, eadem ſpelæa, idem vicinus Mons Sacer. Cur Tzionem, cur Moria, cur Calvariæ montes ſubſediſſe, cur Kidronem torrentem locum immutaſſe, cur regum Iudaici populi ſepulchra, ipſis rupibus inciſa, migraſſe fingemus, vel, ut expreſſius loquar, hæc omnia a Iudæis adhuc pro genuinis agnita, ea ipſa non eſſe, quorum in ſacris monumentis memoria? Sed non eſt nunc in hanc diſputationem transeundum, dulcedo illius ſoli me abripuit, in quo non uni genti Iudaicæ, ſed univerſitati generis humani tanta beneficia præſtita ſunt per ſanctiſſimum Deum & Redemtorem noſtrum, ut majora ne quidem præſtari poſſint, atqui quantum ſvavitatis ENEMANNO adtuliſſe creditis ipſum con-

conſpectum & præſentiam ? Soli, puto, tantam jucunditatem expriment, qui ipſimet ſentiere & experti ſunt; certe de ſe profitentem, audivimus ENEMANNVM, vivam hanc voluptatem ſibi verbis majorem fuiſſe.

Relictis tandem Hieroſolymis, viſis Ptolemaide, Sidone, Damaſco, urbibus quondam opinatiſſimis, Libano monte ſuperato, Tripolin Syriæ denuo ingreſſus, nave conſcenſa Conſtantinopolin repetiit. Illic cum menſem fere ſubſtitiſſet Hadrianopolin & vicinum Timmurtaſchum accerſetur, amicis, bonis omnibus, viris in ſumma dignitate conſtitutis, quin & Regi auguſtiſſimo gratus & acceptus. Qui enim aliter cogitabimus, quum ſupra tot tantaque beneficia ei Regum maximus vacantem Lingg. Orr. in celebri hac Academia Profeſſionem ſua ſponte obtulerit, ENEMANNVS enim in Ægypto tum verſabatur): quum præmium muneris Profeſſorii ab initio anni ſuperioris ei ſolvi juſſerit, Legibus alioquin illud repræſentari vetantibus.

His

His tantis noſter auctus & ornatus beneficiis domum abiit, & peragratis Hungaria, Germania ſuperiori, Belgio Fœderato, Weſtphalia, inferiori Saxonia, Megapolitanis terris, Pomerania, Yſtedtum appulit Auguſto menſe ineunte, lætus jam & hilaris.

fumum de patriis poſſe videre focis.

Notiora ſunt quam ut dici debeant, quæ acta ſunt breviſſimo utique ſpatio temporis, quod reditum noſtri & ſuprema interceſſit; & quo anguſtius fuit, hoc acerbius ENEMANNVM dolemus. Ruebat in complexus caſtiſſimæ virginis, & omni virtutum genere laudatiſſimæ CATHARINAE RVDBECKIAE, & jam conſtitutus erat dies, Michaëli Archangelo ſacer, quo ſolemnia nuptialia celebranda erant, ſed pridie, adeoque die proxime ſequenti quam novum munus auſpicatus erat, ingruens adverſæ valetudinis vis lecto eum affixit: interim cupiebat fœderis conjugalis ſolemnia non differri ac procraſtinari. Ipſi per vos cogitatis, Auditores, quo animo tum fuerint ſponſa, parentes, cognati

gnati, convivæ, nisi quod speciem lætantium redderent.

Levior fuisset hic dolor nisi idem morbus, sive pleuritis is erat, sive præcordiorum suppuratio, intra sextum diem novam nuptam marito svaviſſimo, te mœſtiſſime RVDBECKI gratiſſimo genero, litteras Orientales præsidio suo, familiares amico conjunctissimo orbasset.

Noster initio quidem obluctabatur morbo, sed jam plus eum degravarat, quam quod posset attolli, excussis itaque terrenis hisce omnibus, reputans *peregrinationem esse hanc vitam nostram*, beatam ἀνάλυσιν & properum in cœlestem & veram patriam reditum optavit. r) Atque forti animo ejurantis corculi clamores exaudiens ei tenerrimum *vale*, *vale*, dixit, nec desiit exhortationibus piis, eam alloqui, se ipsum vero Divinis cogitationibus confirmare, ac absolutissimo sanctiſſimi Redemtoris merito plenus ingentis fiduciæ confidere.

Has

r) Aeschin. Socr. Axiocho cap. 3.

Has inter pias meditationes & sensum immortalis gaudii & quietis, in cœlestibus Hierosolymis, post tot itinera, ærumnas, pericula in tutissimo portu percipiendi, placide & tranquille obiit tertia Nonarum Octobris MICHAEL ENEMANNVS noster, maximum sui desiderium nobis omnibus relinquens.

DIXI.

HOSPITIBVS

SVMMIS, MAXIMIS,

AC

MEDIOXVMIS.

NEC NON

PATRIBVS CIVIBVSQVE

ACADEMICIS ET VRBANIS.

SALVTEM PLVRIMAM

DICIT.

FVNVSQVE

QVONDAM

REVERENDISSIMI PATRIS IN CHRISTO AC DOMINI

DN. IOHANNIS BAAZII

SS. THEOLOG. DOCTORIS CELEBERRIMI, REGNI SVECIÆ ARCHI-EPISCOPI EMINENTISSIMI, ACADEMIÆ VPSALIENSIS PRO-CANCELLARII AMPLISSIMI,

NEC NON

CONSISTORII ECCLESIASTICI PRÆSIDIS GRAVISSIMI, ATQVE IN ECCLESIA BÆLINGE PASTORIS FIDELISSIMI,

INDICIT

ACADEMIÆ VPSALENSIS RECTOR

PETRVS HOFFWENIVS

DOCT. MED. ET PROF. ORD.

INter cætera Divinæ ſapientiæ argumenta, quibus homines a ſecuritate abſterrere, ac ad pœnitentiam agendam commonefacere conatur Divinus Vates Eſaias, haud poſtremo ponendum eſſe loco exiſtimo, quod fere ultimis verbis cap. LVI. profert: *Iuſtus*, inquit, *moritur, nec ullus ad animum id revocat, ante adventum mali.* Juſtum quidem ſe appellare nemo mortalium poteſt; omnibus namque eadem prævaricatio, eademque naſcendi ſors in reatu manet, quem a primis parentibus contraximus; idem denique omnibus ab eodem reatu ſeſe liberandi & extricandi medium relictum eſt; ſed non pariter omnes hoc expiandi medio utuntur, ſibive applicant, per fidem, ſcilicet, in Chriſtum, meritum, iuſtitiamque eius. Quod qui per divinam gratiam fecerunt, Deum ſibi propitium reddiderunt, ut ſingulari eos cura complectatur, ac inſtar pupillæ oculi, aut annuli ſignatorii digiti ſui, cuſtodiat, ac a malis non tantum æternis, ſed & ab impendentibus hiſce temporalibus tempeſtive eripiat. Tales a Spiritu Sancto vocantur nunc *Iuſti*, nunc *Columnæ* & *fulcra* Eccleſiæ, nunc *Sepes* atque *Muri* & id quidem merito: His namque

namque ſtantibus, fulcitur ac ſtat Eccleſia, ruentibus vero ruit & ipſa. *Sepes* vero & *muri* dicuntur; quippe quibus obvallatur Eccleſia; Precibus namque ſuis, flagellum Dei, quo iuſte punire ſontes ſolet, avertunt iuſti, ac inſtar murorum ſeſe obiiciunt iræ Dei, ne Eccleſiam tranſgreſſionis & peccati ream, iuſta mulctet pœna. Hoc Exemplo ſuo declarat Abraham, intercedendo pro Sodomitis: tantum enim precibus ſuis effecit, ut ſi decem inventi fuiſſent iuſti, eorum cauſa civitati peperciſſet Deus: quibus vero non repertis, evocato tamen prius Lotho cum ſua domo, totam civitatem igne flammisque delevit. Talis autem ruina hic Vati merito adventus mali vocatur: Quod ne videant experianturque iuſti, per beatam mortem eos ſubtrahit Deus; haud aliter, ac bonus colonus, cui Deus lætam largitus eſt meſſem, ingruente tempeſtate, potiſſimos quoſque melioris annonæ faſciculos, imbribus eripit, ac in horreum recondit, ne immodico imbre, aut grandine, dulcis annona pereat. Optime itaque cum his actum eſt; ſed ſequior multo conditio eſt ſuperſtitum, qui talium mortes ad animum non revocant, nec ingruentia mala conſiderant; quod ſi facerent in tempore pœnitentiam agerent, reſipiſcerent, pœnaſque iuſtas evitarent. Huius tam piæ ac neceſſariæ meditationis, & nos merito admonere debet inopinata, eheu, ac ſubitanea mors *Iuſti* noſtri,

cuius hisce exequias parare conamur. Erat autem is dum viveret, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus DN. IOHANNES BAAZIVS, S. S. Theologiæ Doctor Celeberrimus, Regni Sveciæ Archi-Episcopus eminentissimus, Academiæ Procancellarius amplissimus, nec non Consistorii Ecclesiastici Præses gravissimus, ac in Ecclesia vicina Bælinge Pastor fidelissimus. Mecœnas atque fautor noster colendissimus. Natus est Anno 1626. die 17. Iulii Iönecopiæ Supremo Dicasterio Gothico celebri Smolandiæ Emporio, primariis parentibus, Patre Pl. Reverendo Clarissimoque Mag. IOHANNE BAAZIO, tum temporis Rectore Scholæ, ac S. S. Theologiæ Lectore, postea eiusdem Ecclesiæ Pastore dignissimo, tandemque Diœcesios Wexionensis Episcopo Reverendissimo; Matre honoratissima Matrona BRIGITTA BRICI, Pastoris in Myrsiœ Smolandorum, filia. Quorum piorum parentum potissima cura erat, filium tenellum Sacro Baptismatis lavacro Ecclesiæ Christi inserere, quod factum est ipsa feria Divi Iacobi; postea vero studiose educarunt, tantoque sollicitiore cura, quanto ille in tenella sua ætate tenui admodum infirmaque valetudine frueretur; Quare ut sub liberiore aëre lætius adolesceret, ad Materteram in Myrsiœ puerulum mittunt Parentes, nec eos fefellit consilium; Nam Anno 1633. eo animi corporisque vigore præditus est,

est, ut literis addiscendis aptus videretur, quapropter ad Dominum IOHANNEM Sacellanum in Næsby mittitur, qui illum prima literarum elementa doceret; apud quem uno duntaxat anno ita profecit, ut non tantum textum tam Sveticum quam Latinum rite recitare, sed etiam Catechismum partesque Christianismi sui memoriter pronunciare valeret, maximo Parentibus argumento, ipsum ad altiora studia cum tempore destinatum esse aptumque fore. Anno itaque 1634. Parentes eum Scholæ Iönecopensi tradiderunt, ut sub manu præceptoris Dn. ZACHARIÆ in Olmstedh amplius in studiis progrederetur. Sed quoniam Pl. Reverendus Parens domestica studia parum probavit, Lincopiam eum misit & Scholæ triviali inscribi curavit, Rectore Pl. Reverendo Mag. BENEDICTO FIGRELIO Anno 1635. Iterum domum vocatur ac postmodum ad Dn. PETRVM IOHANNIS Pastorem in Mœnsteræhs mittitur, qui eum ea fide ac diligentia instituit, ut iam varia versionis e vernacula in latinam tentamina faceret. Anno 1636. Ad Scholam Iönecopensem revocatur, ubi eam diligentiam adhibuit, ut intra quadriennium omnes classium doctrinas absolverit. Anno 1640. ad Lincopense Gymnasium celebre ablegatur & a Pl. Rev. & Clariss. Dn. Mag. SAMVELE ENANDRO, tunc temporis Physicæ & Philosophiæ Practicæ Lectore, postmodum Episcopo

Diœcesios Lincopensis gravissimo, non modo hospicio excipitur, sed etiam variis laudabilibus literis instituitur, ut brevi tempore inter condiscipulos suosque æquales sic caput extulerit

Vt lenta solent inter viburna cupressi.

Anno 1642. cum Reverendissimus Præsul intellexisset filium suum eos in studiis profectus fecisse, ut iam omnia, quæ in Scholis & Gymnasiis traduntur, absolvisset, tum studiis Academicis aptum iudicavit, ob eamque causam ad Academiam Dorpatensem in Livonia, ubi frater hactenus feliciter studuit, mittere decrevit. Cumque iam in itinere esset, aliquantisper Elsinoræ hæsit, & inde Dantiscum divertit, ut linguam Teutonicam, nullo popularium præsentc, citius addisceret, quod etiam per mensem vel alterum feliciter obtinuit, quo facto Dorpatum, per tractum Rigensem tetendit, eoque sexta septembris pervenit, ac postquam depositionis ritum subiisset, albo studiosorum inscriptus est, Rectore Magnifico Doct. VIRGINIO & Decano Doct. LVDENIO; apud quos per annum circiter, ea, qua fieri potuit, diligentia studiis invigilavit. Anno 1643. reditum in patriam, una cum fratre Dn. ERICO BAAZIO meditatur, ac Revalia Aboam iter instituit, exploratisque quæ ad rem suam facere videbantur, domum rediit, & mox Upsalam petens Academiæ nostræ nomen suum dedit, Magnifico Rectore Prof. Mag. MARTINO GESTRI-

GESTRINIO, ubi statim ab initio accessus sui, opera & studio Cl. Professoris IO. FREINSHEMII usus, Eloquentiæ & Politicæ ad tempus se totum dedit. Cum vero se studio Theologico omnino ex voto Parentum suoque desiderio consecrasset prius, propositi sui memor, Anno 1646. Upsalæ valedixit, ac in Germaniam ad celeberrimas quasque Academias orthodoxas, suasu Parentis ire decrevit; quare accepto viatico, per Daniam in Borussiam profectus Regiomonti substitit, ubi opera Doct. EISLERI & Cl. VINKELMANNI Philosophiam absolvit, ita ut ei examen rigidum in Philosophia offerret Facultas Philosophica. Cumque iam in eo esset, ut examini se sisteret, per literas fratris Nobilissimi Domini EKENHIELMII domum revocatur, ad Illustrissimum & Excellentissimum Comitem PETRVM BRAHEVM Regni Drotzetum, ut fratris ipsius filium, Comitem NICOLAVM BRAHE h. t. Illustrissimum Regni Senatorem, informandum susciperet: Quare rebus suis compositis, terrestri itinere per Pomeraniam, Mechelburgensem Ducatum, Borussiam, Dantiscum, cæterasque civitates Hanseaticas, Holsatiam, Daniamque Comite Mag. LAVRENTIO BRONNIO, in patriam in Septembri rediit, Regnique Drotzetum statim adiit, salutavitque, ac conditionem oblatam suscepit, Illustrissimi Comitis præceptor ac Ephorus consti-

tutus, quem haud ita multo post Upsalam comitatur, eumque per quadriennium summa fide ac diligentia, omnibus ingenuis, ac tali personа dignis artibus sic instituit, ut inde laudem, commendationem, aliaque benevolentiæ documenta experiretur. Cum iam Illustrissimus Comes peregrinationi maturus videbatur, probatum hactenus ac laudatum Ephorum BAAZIVM Illustrissimo Comiti in itinere comitem adiungere voluit Tutor Regni Drotzetus: Sed quoniam institutum Comitis minus congruebat proposito BAAZII, qui totum se Theologicis studiis consecravit; quare de gratiosa dimissione sollicitavit, impetravitque, ac de peregrinatione in Academias orthodoxas, quo studia Theologica tractare posset, serio cogitare cæpit; præparatisque omnibus necessariis, in Germaniam ire decrevit. Cumque Stetinum pervenisset, persuasit ei Reverendus & Clariss. D. MICRÆLIVS, ut apud se per hyemem maneret, cui in hoc morem gessit, eiusque ductu præcipuos huius seculi Orthodoxos Theologos pervolvit. Anno 1640. Wittebergam, Lipsiam, Ienam & Dresdam adiit, exploratisque omnibus, quæ ad rem suam facere videbantur, rursum Stetinum rediit, ut sibi de commeatu melius prospiceret, quo accepto, iterum Pomeraniam, Mechelburgum, ac Luneburgum, Lubecam, Brunsvigam perlustravit, tandemque ad Academiam Iuliam pervenit, ubi

ubi fideliter cum Professoribus conferendo, præcipue cum D. CALIXTO & D. TITIO, statum religionis, studiorumque Theologicorum eius Academiæ perdidicit. Quibus perspectis, secundo Rheno Hamburgum devectus est; inde per Holsatiam, Daniam atque Scaniam Anno 1652. Holmiam reversus est Illustrissimumque Regni Drotzetum salutavit, & gratiosum invenit, qui postquam singulares eius dotes concionatorias probasset, Ecclesiæ Skiærstadh sub ipsius Comitatu sitæ, tunc vacantis pastorem elegit, quam vocationem lubenti animo suscepit, ordinesque sacros, una cum literis confirmatoriis ad nominatum pastoratum a Reverendissimo Episcopo Wexionensi impetravit. Sed durante adhuc anno gratiæ, nolens relictæ in Skiærstadh incommodo esse, Alundam concessit, & ex ante inito coniugii pacto nuptias ambivit, nunc Coniugis suæ charissimæ, omniumque virtutum muliebrium corona stipatæ ac ornatissimæ Matronæ ELSÆ IOHANNIS HONTHERÆ; Sed quoniam propter impedimenta quædam ante hyemem nuptiæ haberi non possent, Upsalam rediit BAAZIVS, studiaque sua Theologica strenue repetiit, evolvendo potissimos Patres tam latinos, quam græcos, ut & Lutheri Tomos. Eo ipso egregiam plane amplamque disputationem Theologicam de Libero Arbitrio, sub præsidio Reverendissimi D. Doct. STIGZELII conscripsit,

scripsit, & publice habuit. Sequente vero anno 1653. Dominica Trinitatis, in nuptias solenni ritu decentique pompa celebrandas consensit honoratissimæ sponsæ Parens pl. Reverendus ac Clarissimus Mag. IOHANNES HONTHERVS Pastor & Præpositus Alundensium gravissimus, apud quem ea æstate mansit. Appropinquante autumno, Holmiæ subitanea pestis suborta est, quæ Reginam CHRISTINAM Holmiam relinquere Upsalamque migrare coëgit, quæ in locum pl. Reverendi & Cl. Mag. OLAI SCHOGH Ecclesiæ ad S. Iacob Pastoris noviter constituti, hunc nostrum Baazium in aulam Regiam vocavit; quare Ecclesiam Skiærstadh, sibi ante concreditam, relinquere, novumque gregem in Aula regia pascere tenebatur: quod etiam summa fide & diligentia perfecit, non modo regnante CHRISTINA, sed etiam postquam ea regnum CAROLO GVSTAVO per manus tradidisset. Anno 1655. cum Rex CAROLVS exercitum in Poloniam movisset, Reginamque HEDWIGAM ELEONORAM domi reliquisset, huic nostro negotium dedit, ut Reginæ domi in sacris faciendis inserviret; quod etiam fideliter exequutus est. Anno 1657. recruduit pestis Holmiæ, cui se subducens Regina, huic nostro ut maneret Holmiæ, inque Aula Sacra administraret, in mandatis dedit. Sed nemine ex Aula manente, occlusoque Templo hic noster Alun-

dam

dam ad Socerum suum divertit, donec salubriorem aëris temperiem sequens hyems afferret. Anno 1658. redeunte Regia Maiestate cum victoria & triumpho Gothoburgum, eo etiam se recepit BAAZIVS, Regique reditum in patriam, victorias, omniaque prospere gesta gratulatus est. Rex vicissim ei Ecclesiam illam amplam Wingæker Sudermanniæ, tum vacantem gratiose offert, qua accepta Aulæ Regiæ valedixit, iterumque Upsalam nostram repetiit, studiaque Theologica excoluit, donec viduæ annus gratiæ efflueret. Anno 1659. in Maio Pastoratum Wingakerensem adiit, cui octo annis, summa fide, vigilantiaque præfuit; neve animus otio rurali torpesceret, egregiam piamque Meditationem De DEO TRINVNO & CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ concinnavit publicique iuris fecit. Anno 1667. ad Episcopatum Wexionensem vocatur, quem septem annis summo cum Ecclesiæ emolumento administravit. Anno 1674. Episcopatui Scarensi tunc vacanti præficitur, quam provinciam quantum ornaverit, quantumque Christo suo & Regi nostro lucratus sit, dici vix potest. Quantus & hic murus aheneus fuerit obiiciens se iræ Dei, ictumque flagelli divini avertens & cohibens, vel ex hoc colligi potest, quod ex ipsius ore vivo narrabo. Præterito & iam per Dei gratiam sopito bello Danico, cum hostis finitima quædam propugnacula & præsidia nostra occu-

occupaſſet, infeſtamque Weſtro-Gothiam crebris excurſionibus, haud procul a Scarenſi diſtrictu feciſſet, tota tum civitas Scarenſis metu perculſa, convaſatis rebus omnibus ad fugam ſe præparavit, nec aliud niſi ruina incendiumque urbis templique Cathedralis, animis obverſabantur, hic noſter precibus aſſiduis ad Deum reſiſtens, ac quaſi certior redditus, omnes ac ſingulos, bono eſſe animo iubet, certo certius aſſeverans, nihil civitati ab hoſte periculi impendere. Nec ipſum ſpes fefellit: Hoſtis namque metu panico iniecto, intra fines ſuos ſe recepit Scaramque intactam reliquit. Anno 1675. cum ad Comitia Upſalæ celebranda vocaretur, conſilia quæque Regi, Patriæ ac Eccleſiæ ſalubria ſuppeditavit, ac poſtquam in Coronationis actu ſuam etiam operam contuliſſet, poſt paucos dies, prima videlicet octobris, ſummus in Theologia gradus, quem *Doctoratus* vocant, Ei, in præſentia Regis, Reginæ Matris, Ordinumque Regni, confertur. Poſt fata Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi Dn. Doct. LAVRENTII STIGZELII, in locum eius ſufficitur BAAZIVS, qui Anno 1678. in Comitiis Halmſtadienſibus, Præſidium univerſi Cleri ſuſtinuit, idque Regis & univerſæ Patriæ inſigni commodo. Sequente æſtate ſedem Archi-Epiſcopalem Upſalam noſtram ingreſſus eſt, ac Diœceſeos huius curam gerere cæpit. Pro-Cancellarii Academiæ noſtræ munus non neglexit, quod ad offi-

cii

eii sui partes pertinere intellexit, non omisit. Anno 1680. postquam auspicato Holmiam perveniisset Serenissima Regina VLRICA ELEONORA, regnoque rite inauguranda esset, coronationis actum rite peregit Archi-Episcopus Baazius die 25. Novembris. Praeterea de Ecclesiae salute ante omnia sollicitus erat, in omnes diœceseos partes oculos intendendo, saepe visitando eas Ecclesias, quas non eo Zelo ut oportuit administrari suspicaretur. In conversatione communi, & vita civili totus probus erat. In Deum pius & devotus; in Regem fidus; in patriam ut sincerum patriotam decet; in Coniugem singulariter charus; in Collegas humanus & officiosus; in inferiores comis & blandus; in transgressores & delinquentes severitatem ea moderatione temperans, ut contumaces quidem flecteret, sed deiectos erigeret; neminem acerbe impetens, nemini iniurius; sed erga omnes probus ac candidus semper. Constitutionum Ecclesiasticarum maximam curam gessit noster BAAZIVS nihilque intermisit, quod ad Ecclesiastica privilegia augenda ornandaque facere videbatur. Cuius rei causa a REGE nostro clementissimo Holmiam per gratiosas literas vocatus est. Et quamvis infirmitatibus quibusdam, quas sedentaria, ac per tempus in studiis ac Consistoriis acta vita accessierant, saepiuscule tentaretur, quibus ab itinere isto optima ratione excusari posset; minime tamen oblatam occasionem

casionem Ecclesiæ inserviendi sibi eripi passus est; hoc unum agens, ut commissum sibi ovile melius, quam ipse, haberet. Infirmitatem etiam hanc dulcissimam Coniugem celabat, ne per illam forte a proposito itinere impediretur: Quare itineri se accingens, incommoda quæ in via sensit susque deque habuit & toleravit, donec commodo hospitio apud Cl. Mag. IOHANNEM VVLTEIVM Pastorem ad Riddarholmen excepto, valetudini prospicere liceret: ubi, quiete medicamentisque Cardiacis refectus, optimam domesticis familiaribusque recuperandæ salutis spem fecit. Sed quoniam sinistri lateris aliquam gravitatem, obtusumque dolorem sensit, venæ sectionem sibi utilem fore rectissime existimabat: sed inconsulto Medico adhibere nolebat: Quare Medicum ad se vocavit, quid e re foret, sanitatique conduceret, consuluit. Is venæ sectionem dissvadens, lenem purgationem præferebat, quam etiam admisit Archi-Episcopus, non sine alleviatione, ut ipsi videbatur. Postmodum & alia adhibuit, unde melius se habere sensit; quare sequenti die summo mane Ipsam Regiam Maiestatem visitavit, ubi de Ecclesiæ salute, constitutionibus Ecclesiasticis in ordinem redigendis, prolixe, in horam nonam usque cum Serenissima Regia Maiestate sermones contulit. Eadem die Celsissimum Regni Drotzetum visitavit, de iisdemque rebus gravibus ad vesperam usque consul-

consultavit; inde ad hospitium suum se recipiebat, lætusque cibum capiebet, inter cænandum iocos & sales cum domesticis spargebat. Cum instaret hora decima, quædam adhuc fatidica narrare cæpit, de futuro statu Ecclesiæ, deque felicitate eorum, qui beate in domino obdormiscunt; & quidem morte subitanea; aliaque, quæ hac charta exigua exprimi non possunt. Tandem effusis ad Deum, pro more suo, precibus devotis sese lecto & quieti compositurus, Hospiti suæ valedixit, famulo suo negotium dedit, ut sibi mane adesset, cum daretur signum precibus matutinis, quibus interesse constituit: erat enim Dies Ascensionis Christi. Scisitante famulo, nihil ne præterea vellet? negavit, valedicendi gratias, ultimam in terris, quam edidit vocem, reposuit. Mane summo cum ad mandatum adesset famulus, visus est Archi-Episcopus altius indormisse, quare aliquali strepitu Dominum suum excitare conatus est; sed frustra. Quapropter domesticos ad illum excitandum sollicitavit; ast irrita omnia: cum eum morte sopitum invenirent. Sed adeo composito corpore, clausis palpebris, rectractisque paululum genubus, qui dormientium naturalis situs esse solet, ut non alio nisi gravi sopore oppressum iudicarint. Quare denuo Medicum vocant, qui converso corpore, gravi Apoplexia suffocatum esse Archi-Episcopum animadvertit ex nimia scilicet copia crassi sanguinis,

guinis, qui iam grumefactus & extravasatus, genam sinistram, collum, & thoracem ad cor usque Ecchymomate commaculat. Sic ipsa die Ascensionis Christi ad cœlos ascendit & Anima Archi-Episcopi BAAZII. Corpus vero & beatæ animæ domicilium sepeliendum in templo Cathedrali hodie hora prima nobis relictum est. A Vobis proinde, Hospites Maximi medioxumique, vobisque Patres Civesque Academici, & Vrbici per vestram humanitatem, per illud amabile, vobisque mihique gratæ memoriæ nomen IOHANNIS BAAZII, a Vobis, inquam, ea qua par est animi submissione, ac reverentia, officiose & amice contendo, ut ad amplissimum hoc funus ex ædibus beate defuncti efferendum cohonestandumque frequentes confluere dignemini. Valete scr. P. P. die 18. Septembris Anno M DC LXXXI.

(2)

LECTORI BENIVOLO

PETRVS HOLM

S. S. Theol. Prof. Ordin.

S. P. D.

QVando Deus se de Iuda & Ierusalem subla turum minatur virum *fortem* & *bellatorem*, *iudicem* ac *Prophetam*, *sagacem* & *senem*, Esai III, v. 3. Bonorum certe virorum abitum ac obitum, malorum prope imminentium haud dubium monstrat esse præsagium. Sicut enim in cœlo, quando sidera clare nitere cernimus, suoque quodlibet eorum fulgere iubare, sudum nobis lætumque aëris habitum auguramur: Illis autem delitescentibus, atraque se obducentibus caligine, tristem hyemem, horrendamque tempestatem, ac calamitatem, præ foribus esse ominamur: ita & beatam, felicemque rempublicam iudicamus, quamdiu moderatores eidem præsidere videmus, animi moderatione & magnitudine *fortes* ac *intrepidos*, *iudicio* acieque mentis *acres* iuxta & *suaves*, lectione rerumque variarum notitia *celebres*, earundem gerendarum ac diiudicandarum prudentia *solertes* & *sagaces*, longoque usu & experientia *senes* ac *confirmatos*. *Optimum in domo signum, est senex.* Contra autem quando Deus huiusmodi humanæ societati, ad tempus concessa lumina tollit e medio, oculis pa-

riter ac usibus humanis eripit: quid, quæso, aliud præ se fert rerum omnium arbiter, quam malum se parare ac infortunium, e cuius facie *colligat* i. e. eripiat suos, ne sentiant calamitatem. Wenn das Unglück zum Lande hinein sihet, so rafft Gott die seinen zu sich, und læst sie das Land mit dem Rücken ansehen, inquit quidam e Germania Theologus. Nam ut Lothum olim ab incendio; sic hodieque & alios pios calamitatibus eripit. Quod sacrarum literarum monumentis facile esset comprobare, nisi huius rei documenta domestica, nimium proh dolor! frequentia haberemus, præsentia, imo, & recentia. Quid LENÆOS loquar, STIGZELIOS, BRVNNEROS, LOCCENIOS, SCHEFFEROS, aliosque, quorum amissorum dolorem, temporis nunc diuturnitas videtur minuere: Hodiernum certe funus, satis est grande fragilitatis nostræ memoriale; cordiale satis acutum, quo huius rei memoriam possimus refricare. Est is Vir Pl. Reverendus, Amplissimus atque Celeberrimus Dn. SAMVEL SKVNK, S. S. Theol. olim Doctor, & in hac antiqua Sveorum Gothorumque Academia eiusdem laudatissimus Professor, ac Facultatis Decanus, ut & Ecclesiæ, quæ in Danmark colligitur, Pastor vigilantissimus; nunc in Domino beate defunctus. Fuit is quamdiu fuit, id est in hac societate & caducitate vixit; *Vir* vere *fortis* ac *Heros*: singulari animi magnitudine præditus, excellentibusque tam naturæ quam Sp. Sancti donis ac bonis latus,

latus, ad res egregie ac fortiter gerendas & expediundas. *Bellator* fuit: non quidem in pugnis & rixis, utpote, quas totus aversabatur; sed *in bellis Domini gerendis*; quæ tanquam Theologus confecit, *doctrinæ* veritate contra hæreticos, *vitæ Sanctitate* adversus impios. *Iudex* fuit: ordinarie in consistoriis, quibus tanquam Assessor interfuit; tam Ecclesiastico, quam Academicis. Extra vero ordinem, in causa illa memorabili, quam de Magis huic Nostro una cum selectissimis in Suecia ingeniis S. R. M. commisit examinandam ac diiudicandam. *Propheta* fuit: non eo quidam modo, quo illi in V. T. res *futuras* & *obscuras* vaticinabantur; sed quo pacto N. T. ministrum decet, Sc. Sacram ex semetipsa interpretando. Nec hoc tantum; sed & in *humanis*, ex longo rerum usu & similium collatione, similes sæpe effectus sagaciter ac solerter divinabat; utpote Vir, non annis tantum, sed & longa scientia rerum, lectione ac autoritate venerandus. *Fuit*, inquam; sed nunc in terris non est. Deus enim tantum hoc suum donum, tantum Ecclesiæ ac reipublicæ ornamentum, per mortem a nobis sustulit. *Collegit* sanctum suum a *facie* mali, quod Deus clementer averruncet! Populo eius imminet. *Frumentum* fuit Dei, ut verbis B. Ignatii utar; voluit itaque in cœlestia sua horrea congregatum; ne grando eum afflictionum oppeteret, diræque mundi huius calamitates, vexarent. Sed una cum corpore, quod spiritus Dei, tantorumque in eo donorum & bonorum habita-

culum fuit; ne memoriam quoque ejus protinus deponamus : Constitui per eu die h. 9. ante meridiem, in Auditorio Gustav. brevi parentatione eandem repetere ; non sicut ejus virtus meruit, quæ meam longe orationem exsuperat, sed prout temporum habitus, & mea ipsius infirma hisce diebus valitudo possunt permittere. Rogantur itaque officiosissime diligentissimeque Patres ac Cives Academici , ut & Honorandi hospites alii, cujusque ordinis ac dignationis, dignentur Defuncti memoriæ ac meritis tantillum tribuere, ut ultimus hic ejus honoris & amoris actus, honoranda illorum præsentia atque benivolentia cohonestetur. P. P. Upsaliæ die 6. Decembris, Anno M DC LXXXV.

)o(

(3)

Reverendissimum Regni Archiepiscopum,
& Academiæ Procancellarium:
Illustrissimum Comitem:
Perillustres Generosissimosque Barones,
& R. Senatorum filios:
Senatum Academiæ:
Aliosque Nobilissimos, Spectatissimos,
Clarissimos, eruditissimos, ornatissimosque
Viros & Juvenes, utriusque societatis
Cives dignissimos:
ad solvenda justa in Templa Danamarck
Decimam circiter horam diei XVI hujus mensis,
Funeri VIRI, Dum vita erat,
Plurimum Reverendi Amplissimique,

M. PETRI HOLM,

S. Theologiæ in hac Academia Professoris Ordinarii, & in Danamarck Pastoris, Præpositique Vigilantissimi,
Officiosè ac humaniter invitat

CAROLVS LVNDIVS.

SUnt sane Philosophi in omni genere Reip. perutiles, utpote qui cunctarum rerum vim, qualitates, caussasque nosse, & veram in civili vita rationem docere, tenere, & persequi stu-

dent; naturæ sic obscuritatem, disserendi perspicuitate veritateque manifestantes, in insignem illustrationem ac evidentiam tenebricosarum imaginum, quibus homunculorum inertium adeo pulsantur animi, ut quæ cœlo, aere, terra, mari, paludibus, fluminibus existunt, esse omnino negent, si nunquam rudi ea sensu potuerunt oculorum percipere. Unde rectæ licet formæ civitatum, vitiis interstrepentibus labantur ac ruant; tamen sapientia, scitisque Philosophorum dextre adhibitis facile emendantur, & ad genuinam insuper moderationem, opinione celerius revocantur. Verumenim vero inania sunt nomina Philosophorum, simul & vanissimus quantæcunque scientiæ prætextus atque titulus, nisi pietate ac religione suffulciantur & condecorentur. Nimirum pietas est, quæ supremæ naturæ, quam divinam vocamus, metum, curam, ceremoniamque adfert: quæ omnem cultum, amorem, venerationem Dei optimi Maximi, & quicquid eidem obsequii officiique præstari oporteat individuo nexu complectitur. Pietas est, & religio, unde maxima quæque Rerumpublicarum felicitas post hominum memoriam semper pependisse credita. Gloriatur ita Cicero, Deorum Numine, Romanum illud tantum imperium & natum, & auctum, & retentum: Suosque cives nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, omnes gentes nationesque super-

ſuperaſſe: P. Clopium non tam a crocota, a mitra, a mulieribus ſoleis, purpureisque faceolis, a ſtrophio, a pſaltrio, flagitio, a ſtupro, quam a religionis contemtu reprehendens, exagitans, & in ſummum univerſorum ac ſingulorum odium adducens. Et habuerunt haud dubie omnes ſemper populi ſua ſacra: habuerunt ritus ac ceremonias ſollemnes: habuerunt cujusque ſacerdotii propria & peculiaria; tenſas, curricula, præcentiones, ludos, libationes, epulaſque ludorum publicorum. Quæ omnia diuinitus ut perſcripta præceptaque ſervarunt, ceremoniaſque ab omni vetuſtate acceptas & repetitas ad poſteros etiam ſuos incorruptas tranſmiſerunt. Ne tamen ſuperſtitione, quæ non eo uti loquitur Grotius, peccat, quod Deum nimium colat, ſed quod perverſe, animi imbuerentur, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia procuraſſe ſunt viſi. Superſtitionis enim ſtirpes omnes ejiciendo, religionem junctam cum cognitione naturæ propagari vere poſſe exiſtimarunt. Unde & aruſpicini, & fulgurales, & rituales libri qui Ciceroni dicuntur, a ſuperſtitione abeſſe debebant; conſtitutique Theologi, ſacerdotes, ac interpretes divinæ quaſi voluntatis, ne de vero ac genuino ſenſu ſacrorum voluminum dubitare viderentur. Quorum inde morte, conſociationi communitatique civili varia incommoda & damna accelerari perſvaſiſſimum ſibi eſſe voluerunt. Sed meram hanc ſuperſtitionem fuiſſe, non juſtam

probatamque religionem, luce divina illustrati recte novimus. Vetus ad hæc illud Catonis admodum scitum est: qui mirari se ajebat: quod non rideret aruspex aruspicem cum vidisset. Cumque divina gratiâ & indulgentia per CHRISTVM fax veritatis orbi reluxerit: gratulamur etiam patriæ nostræ, nobisque sincere gaudemus de cœlesti hoc thesauro in apricum deducto, & cum arctoo tandem orbe communicato. Verum oppressit simul animos Pontificia secta, eoque Christiana res temeritatis in longum sæpe euntis perducta, ut in media luce cœcutire cogerentur homines, & in CHRISTI cœtu, qui sic nominatur, veri Christiani sollicite quæri nec inveniri possent. Singulari tamen Divini numinis providentia, & nunquam satis laudata pietate ac cura Magni regis GVSTAVI PRIMI a corruptelis purgata religione, & ad sinceram veteris fidei normam directa, præstantiores Theologi nunquam defuerunt, quorum doctrina studioque fervente, res Divina, alio atque alio tempore, gradum promovere avebat, atque fastigium tandem summum, non interrupto cursu, conscendere. Certe etiam præter recentiores, PAVLINVM, WALLIVM, LENÆVM, STIGZELIVM, & BAZIVM, antistites doctoresque summos, & meritis in Ecclesiam CHRISTI eminentissimos, quorum ut viventium magna fuit admiratio, ita censura nunc omnibus difficilis: ipsi nos ODELIVM, EDENIVM, atque etiam BRVNNERVM, viros Doctoresque inclutos, ingenti

ingenti cum laude profitentes publice privatimque audivimus. Qui eo testatiorem sui memoriam, majusque desiderium universis ac singulis reliquerunt, quod magna linguarum scientia, eruditionis solidæ, morumque cultu svaviſſimorum, gravitate decenti temperatorum conspicui semper fuerint. His similibusque aliis, funestis morbis, gravi Ecclesiæ vulnere prostratis & exstinctis, in præsentia jure meritoque accensemus plurimum reverendum ampliſſimumque virum, D. M. PETRVM HOLM, Theologiæ quondam Professorem Ordinarium, collegam & fautorem conjunctiſſimum desideratiſſimumque. Cujus rara, dum vixit, eruditio, accurata linguarum peritia, merita in rem literariam, ipsiusque adeo CHRISTI ecclesiam insignia, & vitæ integritas sanctitasque, quantam mortalis recepit conditio, calamum e manibus tantum non excutiunt. Verum tamen officii sic partibus exigentibus, de more vitam sigillatim breviterque referam, ut ejus exemplo alii, veros Theologos, nec umbras tantum Theologorum gerere; sincera & profunda rerum divinarum notitia internosci, nec atra solum fuligine, palliorumque laciniis undantibus, sanctiſſimæ disciplinæ nomen audacter ementiri desiderent. Patriam huic nostro dedit VFANGER Angermanniæ provinciæ, quæ feliciſſimorum ingeniorum proventu nobilis, plures nobis & professores & Episcopos, singulari Dei beneficio largita est. Vitæ dies primus Calendis Iul. debe-

tur anni trigesimi quarti, supra millesimum sexcentesimum. Pater ipsi erat centurio nobilis & strenuus, ANDREAS PETRI HOLM: Mater, ELSA LAVRENTII, vices jam tum tribuni militaris, & præfecti præsidii sustinentis filia: qui hunc recens natum renasci sine mora curarunt, per sacram ablutionis ceremoniam, cœtuique Christianorum sincero inseri. Jamque annis sic requirentibus, traditus provida parentum optimorum cura, tam privatis, quam publicis præceptoribus, in Schola potissimum Hernosandensi erudiendus. Inde in Gymnasium ab Regina CHRISTINA ibidem erectum, ad instructiorem sibi doctrinam comparandam translatus, tam solida uberioris progressus jecit fundamenta, ut subnatis jam ad volandum alis, e pulvereo Gymnasii metu, in liberiorem Academiæ aere evolare sustinuerit. Idcirco Ao: CIↃ. IↃC LI. Testimonio Rectoris Gymnasii M. PETRI Plantini munitus, ad Academiam concessit Gryphiswaldensem. Ubi mox relatus in numerum studiosorum, Musarum sacris fideliter operatus est, moderatore studiorum M. IOANNE ANTHELIO. Cumque omnis annus insequens funeribus & cladibus ipsi insignirerur, præcipuè vero morbis inopinatis primum matre, mox & avo materno, tandemque patre amissis, per multa discrimina ex æstu maris furente, & vastissimis fluctibus cœlum terramque miscentibus, circa initia Mensis Novembris in Sveoniam reversus, hiemem in prædio paterno exegit, æstateque senescente

scente filios D. OLAI parochi in Fernebo Gestriciorum, consobrinos suos instituendos susscepit, quibus comitatus accessit Upsaliam, magnifico tunc temporis Rectore HENRICO AVSIO, literarum Græcarum Professore celeberrimo. Ubi deinde plusculos annos moratus plurima eximii ingenii, solidæque eruditionis specimina in lucem edidit. Præcipuè verò industriam suam publicè habita disputatione de *Demonstratione* peregregiè probavit, præside M. OLAO UNONIO Log. & metaph. Professore laudatissimo. Deinde quoque de *Vniversali Dei Gratia* Anno CIↃ. DC. LXIII. sub præsidio viri incomparabilis, Theologiæ Prof. & Doctoris LAVRENTII STIGZELII magna cum laude disseruit. Jamque sibi tantam & in Philosophia, & Theologia eruditionem acquisiverat, ut multos ætatis suæ, quin & suasmet ipse spes, præcipuè in linguarum cognitione orientalium anteire sit visus, ductoribus potissimum & doctoribus IOANNE LAVRBERGIO, & CHRISTIANO RAVIO, viris Clarissimis. Unde etiam svasu rectè sibi cupientium amicorum, eruditionis augendæ amplificandæque gratia, ad exteros iterum abire parabat. Cum itineri jam staret accinctus, Testimonio Rectoris Upsalensis, quô veniret acceptior, exornari voluit: quod quoque Celeberrimus Doctor EDENIVS, Rector jam tunc Academiæ, cum applausu Professorum omnium, longè eidem honorificentissimum meritissimo tribuit. Holmiâ igitur è portu so-

luta

luta navi, secundo mari Lubecam primum pervenit, indeque Hamburgum. Dein loca alia curioso quoque oculo emensus, Helmestadium, Wittenbergam, & Lipsiam constituit lustrare. Cujus ita voti damnatus, quicquid præclari dictæ Academiæ celebres, & in iis magni Professores foverunt, summo studio rimari satagebat. Sed & Jenam pertendit, ibique per annum subsistens, primum præside IOANNE GERHARDO Juniore disputavit. Deinde librum de Religione Turcica s. Mahumedana ipse conscripsit, qui ab eruditis hodieque in magnis habetur deliciis. Quibus ita peractis, satis, opinor, meruit, ut honores in absentem magisterii conferrentur; locusque inter creatos simul Magistros primus assignarerur. Inde cæteras celebriores per Germanias Academias ita usurpavit oculis, ut pluribus orbis literati luminibus innotesceret, dignus omninò habitus, cum quo commercia ipsis literarum forent in posterum. Neque contentus loca sic adiisse Germaniæ, in Gallias insuper iter suum direxit, Parisiis ita manens per hiemem anni CIↃ. IↃC. LXVI. magnamque verni temporis partem. Et quamvis in Britanniam etiam cogitaret, tamen strepitu armorum Angliam tunc temporis concutientium commotus, mutato consilio, per Brabantiam, provinciasque fœderati Belgii, atque etiam Daniam, trienni felici peregrinatione defunctus, eodem anno in patriam rediit. Excipiebat reversum læta jam Academia Upsalensis, quare etiam in numerum adscitus

scitus docentium, Facultatis, uti vocant, Theologicæ aliquantisper gessit Adjunctum. Sed virtus & eruditio viri clarissimi fugere non poterat, quos summa tunc rerum arbitria nomine REGIS exercuisse novimus. Itaque sub finem anni CIↃ. IↃC. LXVII. ab sacra Regia M:te professioni Linguarum Orientalium in Academia CAROLINA Londini Scanorum, brevi inauguranda, admotus, post rituum sollemnia publice privatimque sine moratoria frustratione docere aggressus est. Hac deinceps diligentiâ in ore & fama omnium esse cœpit, qua ad aures quoque clementissimi Regis adlapsa, personam insuper Theologi extra ordinem sustinere jussus. Non attinet heic exercitia tam publica quam privata latius & uberius commemorare. Loquuntur ipsa per se viri industriam, & me vel tacente, qui tunc exstiterunt discipuli, in laudes ejus jure meritoque certant. Quin & pastor, ut appellant, Hogbyensium & Hostadensium post aliquanto creatus, tanta accuratione ipsi huic pariter cum Professoris officio præfuit, ut omnis illuc multitudo ex urbe ad eum audiendum sæpiuscule conflueret. Qua etiam dexteritate in dicta Academia Rectoris, aliaque per vices recurrentia munera administrarit longum foret persequi. Ego certe nolo in hac re multus videri, cum evidentissima etiam nunc inusitatæ propemodum industriæ documenta exstent, idem quod intenditur plus satis evincentia. Unde Ao. CIc. IↃC. LXXVI irruptione facta Danorum

rum in Scaniam, disperſisque Academiæ patribus civibuſque, ab Regio ſenatu, ſereniſſimi Regis in abſentia, illuſtriſſimo Vpſalenſis Academiæ Cancellario ſummopere commendatus, profeſſionem Theologiæ honorariam obtinuit. Quæ quoque docendi functio Clementiſſimis R:æ M:tis literis paulo poſt Halmſtadii confirmata, in honeſtiorem ſuſtentationem adjectâ parochia *HAGEBY*. Ao. CIↃ. IↃC. LXXIX. defuncto inſigni Theologo BRVNNERO a Regia Majeſtate hic noſter ſurrogatus, præpoſiti ſimul titulum ac prærogativam meruit. Quibus ita omnibus ex ſententia ſuccedentibus, in id omninò incubuit, ut non tam mandatis ſibi honoribus ornaretur, quam eoſdem pro virili ipſe exornaret. Scilicet commodis ſuis & emolumentis prætermiſſis, omni cura, cogitatione, vigiliis nihil niſi de ſalute publica, honore Academiæ & collegarum, ſtudioſæque juventutis incremento laboravit. Igitur dum vires ſuppeterent, moleſtiæ ex tot ipſum tantum non obruentibus indies negotiis ſumma dexteritate ſuperatæ. Emicuit potiſſimum virtus in munere obeundo Rectoris Academiæ huius noſtræ, præter alia quæ nunc mittuntur, & plenis aliorum laudibus in cœlum uſque efferenda reſervantur: cum omnia ſigillatim recenſenda huius ſcriptionis modus formaque non admittant, imo plane renuant. Dabitur forte ipſi mihi occaſio juſto volumine hujus noſtri aliorumque clariſſimorum virorum virtutes, merita, & ſcripta partim in lucem emiſſa,

partim

partim adhuc intra perietes privatos latentia complectendi. Ad summam: Vir optimus, Doctor Academiæ scientissimus celeberrimusque, Adsessor Consistorii æquissimus, collega pacis & tranquillitatis in commune Reip. literariæ bonum servantissimus, jure ac merito eluet. Ut nec mirum censeri debeat, si casibus infelicibus posteriore tempore jactatum, jactura magna Reip. literariæ, insigniter doleamus. Bona fide huc usque retulimus, ut publice HOLMIVS noster comparuit. Restat, ut privata quoque vita ejus, qua fieri possit brevitate, perstringatur. Noverunt omnes, qui hunc Nostrum noverunt, virum fuisse piissimum, vita sanctissimum, humanissimum, conjugis, liberorum, vicinorum, secundum gradus officiorum amantissimum, in pauperes & alienæ opis indigos beneficentissimum: qui turpe semper duxerit ita Philosophari, ita alios e suggesto docere, ut ex sordidiore vulgi usu, & astute callideque simulantium veteratorum, affectibus ipse succumberet; quo nihil nec tetrius, nec corruptius, nec fœdius excogitari potest. Matrimonio sibi Ao. CIↃ.IↃC. LXVI. virginem conjunxit honestissimam lectissimamque BARBRAM, spectatissimi rei metallicæ præfecti THOMÆ CHRISTIERNI Hedrei filiam: ex qua duos tulit filios etiam nunc superstites, mortem carissimi desideratissimique patris maximopere lugentes. Hac orbatus Ao. CIↃ. IↃC. LXXVI. cura domus sic exigente, Ao. M. DC. LXXIX. die XI. Mart. ad nuptias transiit

siit secundas , ducta domum virtutibus suum sexum decorantibus ornatissima Matrona, ANNA GEORGII FOLCKER, cum qua quoque conjunctissime ad ultimum usque vitæ vixit, maximis rei familiaris incrementis, majoribus virtutum domesticarum titulis, meritisque supra sortem vulgarem longissime evectus. Sed hanc felicitatem grave artuum in pravum elapsorum, & nervorum resolutionis malum, hemiplexia medicis alio nomine appellatur, vehementer afflixit, ademto magnam partem usu manus dextræ, brachii, & linguæ. Et quamvis singulari cura, rarissimaque scientia celeberrimi Doctoris DROSSANDRI ad usum istæc membra converterentur; nihilo tamen secius alia supervenientia incommoda, ætas ingravescens, viresque indefessis laboribus exhaustæ, mortis certissimæ nunciæ, omnem medicaminum vim tandem eluserunt, donec XXX. d. Iunii mensis proxime præterlapsi, horam circiter XI. ad emigrandum probe pieque paratus, spiritum Deo creatori suo, annis tribus & quinquaginta jam expletis, pia, leni, placida morte redderet. DEVS OPTIMVS MAXIMVS fons omnis consolationis, viduam mœstissimam, quæ squalido ejulatu, & medullas exedente angore cruciatuque ob abscessum mariti desideratissimi tantum non absumitur, totamque hoc casu acerbissimo gravissimoque ferè afflictam domum gratiâ sua immensa soletur, ac adversitatum undis immersa iam diu capita languida, lætiora

tandem

tandem & vivida emergere ſinat! Vos autem Lectores omnium ordinum honoratiſſimi, iterum quo par eſt affectu, verborumque honore rogamini, ut virtutum ac meritorum incluti viri, veſtræque ipſorummet humanitatis bene memores, frequentia veſtra in pios manes debitum officium ſupra indicato tempore teſtari haud dedignemini. P. P. Upſalis d. XIV. Decemb. Anno CIↃ. IↃC. LXXXVIII.

(o)

FVNVS

Hora huius diei post meridiem prima decendum est,

Viri cum vita suppeteret

Cl. Amplissimi, Consultissimique

DOMINI

IOANN. SCHEFFERI

ARGENTORATENSIS,

Iur. Nat. & Gent. Regii honor. Eloq. & Polit. Prof. Skyttiani, atque etiam Acad. Upsal. Bibliothecarii, de Republ. litteraria imprimisque hac inclyta Acad. optume meriti.

Quod, ut ex merito virtutum tanti viri, Excellentis doctrinæ eius, atque etiam laboris in illustranda ac propaganda re litteraria indefessi decenter solenniterque fiat perhumaniter rogamini

Honoratissimi ac Præstantissimi quique cives utriusque societatis Academicæ & Vrbicæ

ab

Academia Upsalienſis h. t. RECTORE

IOHANN. GARTMAN

Iur. Civil. Rom. Prof. Ord.

Effertur funus e domo beate defuncti, transfertur in Templum Cathedrale.

Ex

EX rebus diversis, atque etiam repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce, & tenebris, ex vita, & morte. Quod ait L. Cœl. Lact. F. lib. 2. de origine err. quos inter perpetuum est dissidium: ut si anima, melior nostri pars vicerit, sit ea immortalis & in perpetua luce versetur: Si corpus, sit in tenebris sempiternis, hoc est in morte. Quæ est secundum sacras scripturas mors altera: & ipsa perpetua. Est autem ea homini lex posita, ut illam nulla arte, nulla industria defugiat, ac devitet; hanc autem devitet ac effugiat, qui cœlesti adiutus gratia bene vixit. Non illam scilicet: sicut enim non sponte nostra in hanc venimus vitam: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quo ad tempus utitur cœlestis spiritus, eiusdem iussi excedendum est, qui induxit, habitaturis donec iubeat emitti. Quod ita M. Tull. 1. Tusc. ad F. Si quid tale acciderit, ut a DEO denunciatum videatur, ut exeamus e vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia, & levari vinculis arbitremur: ut aut in æternam, & plane nostram domum remigremus; aut omni sensu, molestiaque careamus; Sin autem nihil denuntiabitur; eo tamen animo simus, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus; nihil in malis ducamus, quod sit vel a Deo immortali, vel a natura parente omnium constitutum; non enim temere, nec fortuito sati & creati sumus &c. Portum potius paratum nobis & perfugium putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat &c. hæc ille suo

modo & in illis tenebris. Omnino optime illis, & paratus ex longa quasi navigatione portus in cœlis tutissimus, qui honestissime, sanctissimeque hic acta vita decessere. In quibus si quis alius, is omnino omni procul dubio fuit, vir, cum vita suppeteret, Clariss. Amplissimus & Consultissimus Dn. IOANNES SCHEFFERVS Argentoratensis, Iuris Naturæ & gentium in Regia Vpsalienſium Academia, olim Professor Regius honorarius, Eloquentiæ & Polit. Skyttianus, atque etiam Academiæ Vpsal. Bibliothecarius, de Republ. litteraria, imprimisque hac Academia præclarissime meritus. Quem totis triginta annis, quos hic exegit, eum vitæ tenuisse cursum, eum modum omnes novimus, ut nunc in cœlis, h. e. in sempiterna luce versetur. Cœlum enim, æternam Patriam, cum hic esset, semper cogitans, terrena parum attendit, ad quæ sane nunquam obbrutuit. Quod nec faciendum docuit Anaxagoras, suo licet modo, ut erat gentilis; cum illic nobis patriam esse diceret, cœlique & solis intuendi causa natum se affirmaret; & Ptolomæus, qui quotiescunque sydera aspectabat, non terram calcare se, sed cum Iove ipso Ambrosia vesci & nectare iactabat. Debetur id officii virtutibus nostri SCHEFFERI, debetur excellenti doctrinæ, maximisque in rem litterariam, adeoque hanc Academiam tanti viri, meritis, ut eius memoriam litteratæ posteritati hisce commendemus, idque paucis: neque enim, quæ huc faciant singula consectari licet, quod si faciendum

dum esset, non me deficeret oratio; ea enim est huius materiæ ubertas. Nomen Schefferianum per *Hassiam*, & *Franconiam* universam, tractumque Moguntinum, in primis autem inferiori *Erlebacht* etiam temporibus antiquissimis omnino celebre, virtute sua, excellentique doctrina celeberrimum reddidit Dn. IOANNES SCEFFERVS, Argentoratensis: cui patria erat Argentoratum, inclyta Musarum sedes, libera Imperii civitas, celeberrimumque Germaniæ emporium: parens Dn. IOANNES SCHEFFER, vir spectabilis, florentissimæ Argentoratensium reipubl. civis perhonorificus: mater ELIZABETA KRASCHELL, ex Aquisgrano, & ipso libera Imperii civitate, nobilissima, præstantissimaque Matrona: dies natalis 2. Febr. Anni 1621. quorum studio, providentiaque tempestive effectum, ut die mensis eiusdem quinta sacro tinctus baptismate ius civitatis Christianæ consequeretur, deincepsque domi, ac publice summa diligentia, ac fide institueretur, atque imbueretur doctrina Christiana. Ineunte anno ætatis sexto traditus est AVGVSTO REITH, Scholæ triv. præfecto, viro integerrimo litteris instituendus: insuperque domi cuidam ZOBET, Silesio, homini litterato: cumque esset illustri, ac celeri ingenio, exiguo tempore ita profecit, ut ætatis eiusdem alios facile vinceret, atque emineret. Anno 1628. d. 21. April. h. e. ætatis septimo relicta Schola inferiore liberalibus studiis operari cœpit in Gymnasio; idque toto novennio quam feliciſsime.

Anno 1637. d. 30. Octobr. ius civitatis Academicæ illic consecutus est, Academiæ Argentoratensis t. t. Rectore V. Cl. Dn. IOHANNE THABOR ICto præstantissimo idque ex more istic recepto, peractis scilicet rite Anno 1636. d. 18. Maii solennibus depositionis; quando ingenium illustre altioribus studiis dedit, summos sapientiæ Doctores secutus sedulo. Atqui repentina mors matris charissimæ magnam licet paternæ domui cladem attulisset d. 29. Martii anni eiusdem, secundissimum tamen ingenii cursum huic Nostro haud pressit. Cumque hic *Noster* ad peregrinationem tempestive feliciterque instituendam sese in patria egregie præparasset, svasu suorum inivit Anno 1638. mense. Aprili; quando secundo Rheno Francofurtum delatus est: ubi, & in vicina *Erlebacht* partem non exiguam bonorum patris communis domus paternæ emolumento composuit, ac ordinavit. Frequentabantur ea tempestate nundinæ Francofurtenses vernales, toto litteratorum orbe celeberrimæ: quibus etiam interfuit Dn. ISACVS KRASCHELL, vir præstantissimus ex civitate Aquisgranatense, huic Nostro avunculus: cui comes ac socius fuit itineris Aquisgranum B. SHEFFERVS. In ipso transitu vidit Academiam, & Collegium Colonienſe. Aquisgranum perveniens mense octobri, transegit illic hyemem, primoque vere Sylvam ducis, Dordracum, &c. contendit; venitque Leydam in Batavis, Academia totius Belgii celeberrima, ac principe, inclytam.

Vbi

Vbi suo cum fructu, atque emolumento studiorum præcipuo exegit annum unum, menses sex; plurimum enim istic usus est Viris toto Litteratorum orbe celeberrimis, DANIELE HEINSIO, M. ZVERIO BOXHORNIO, IOHANNE ELICHMANNO, aliisque oppido multis doctrina solidiore celeberrimis Dominis: cum quibus erant huic B. etiam post eius ex Belgio discessum commercia litterarum perpetua. Ita vero sua curantem, ita florentem SCHEFERVM infelix nuntius paternæ mortis perculit, pæneque oppressit. Igitur domum, invitus licet, remigravit adulto iam autumno Anni 1640: quem reversum non una res afflixit, molestiamque aspersit: quam ille, qua erat animi constantia, depulit, penitusque delevit. Aliquo tempore isthic mansit atque suo commodo diligenter usus est Domino BICCIO, Dn. SCALLERO, Dn. GROSSIO, in primisque Dn. IOANNE HENRICO BOECLERO & Dn. MATTHIA BERNEGGERO, huius Nostri Affine, V. Cl. & undequaque doctissimis, quorum opera ac fideli institutione valde profecit in, præsertim politiori litteratura. Anno 1642. tempore æstivo abivit in *Sveviam*, quippe admotus spei Dn. STOCKER, iuvenis illustrissimi, qua occasione vidit *Basileam*, *Solathurn*, *Lausannam* &c. Ubi domo mensaque liberaliter satis exceptus est a Dn. RHEINHARDO, Græc. litt. ibid. Prof. Ord. V. Cl. Post aliquod inde tempus adiit Coloniam Allobrogum, ubi maximo suo commodo innotuit

tuit Domino IACOBO GOTHOFREDO, summo Philologo ac ICto, & ALEXANDRO MORO, Græcas litteras ibi docenti, Viro Cl. Perfecta feliciter re suis restituit Dn. STOCKER modis omnibus meliorem, quam suscepisset. In patriam reversus anno 1644. circa festum *D. Iohannis Bapt.* publici iuris fecit tractatum de *varietate navium* a se compositum, idque anno ætatis 23. Ad studia litterarum doctissimi iuvenis accessit amor studiumque præstantissimæ artis pingendi; quod ut est summæ utilitatis, ita & difficultatis. Cuius causa est, quod eius perfectio multarum adeo disciplinarum auxilium requirit. Et vero, quanta sit eius utilitas, quantus usus, vel videre intelligereque licet ex variis eius operibus. Evocato Holmiam Dn. IOHANNE FREINSHEMIO V. Cl. Eloq. & Polit. in Reg. Upsalienſium Academia Prof. Skyttiano, ad Bibliothecariatum Regium anno 1647. placuit illustrissimis Viris ac Dominis familiæ Schyttianæ principibus, reliquisque quibus in hoc ius & potestas erat, ut Schyttianam Professionem idoneo traderent Viro, per literas eam deferre Dn. IOHANNI SCHEFFERO V. Cl. quod effectum est anno 1648. mense Martio, præstitis etiam sumptibus itineris in nostram Sveciam. Licet autem inclytus Argentoratensium Magistratus eiusque Academiæ Curatores amplissimi V. Cl. apud se, & in Academia patria constitutum vellent stipendium; maluit tamen datam *Illustrissimis Dominis Schyttianæ Professionis Patronis*

ac

ac Curatoribus, fidem adimplere, quam mutata sententia in patria permanere, etiamsi ei se debere quam plurimum haud illibenter affirmaret. Itaque nave devectus in Belgium mense Aprili adiit ac vidit in transitu *Traiectum* ad Rhenum Academia perquam *celebri*, celeberrimam urbem, & *Lugdunum* Batavorum, adeoque *Amstelodamum*; sane quidem non exiguo suo emolumento, cum istic CLAVDIVM SALMASIVM, hic GERHARDVM IOAN. VOSSIVM Viros, ingenio maximos, doctrina incomparabiles salutaret, sæpiusque conveniret. Hinc recta in Frisiam contendit: quam permeavit utramque, sicque etiam Westphaliam, Comitatum Oldenburgensem, Episcopatum Bremensem; ut tandem Hamburgum perveniret itinere felicissimo. Vbi paululum refectus ac recreatus, per Holsatiam & Daniam feliciter perrexit in nostram *Sveciam*. Revisit autem *Soræ* D. HENRICVM ERNSTIVM: *Hafniæ* D. THOMAM BARTHOLINVM amicos veteres. In autem ipso mari, quod Selandiam a Scania distinguit ac separat, vehementi tempestate iactatus, peneque abreptus in scopulosa loca ægre vitam servavit. Factum tamen favore cœlesti, ut salvus & incolumis Holmiam adventaret d. 2. Iulii anno 1648. illicoque Serenissimæ ac Potentissimæ principis ac Dominæ Dn. CHRISTINÆ SVECIÆ ac GOTHIÆ &c. REGINÆ atque etiam regni Procerum gratiam ac favorem singularem haud dubiis argumentis primum experiretur. Consumptis in Regia Holmia

mia paucis diebus, Vpsaliam se recepit D. SCHEFFERVS, dieque mensis eiusdem 12. in Regia Vpsalienſium Academia ſuſcepit munus Profeſſoris Skyttiani; idque rite ac ſolenniter, Sereniſſima Regina Regnique Magnatibus quam plurimis eo tempore præſentibus. Publice privatimque docere cœpit V. Cl. menſe Auguſto anni eiusdem: quod quemadmodum præſtiterit omni reliquo tempore, quo nobiscum erat, id utique ignorare nequimus: præſtitiſſe autem egregie multorumque inſigni emolumento & quorum vilior ſors eſt & ſummi in Rep. viri, qui in Academia, in domo ſua dicentem ac diſputantem audiere ſæpius animo perlubente. Ad hæc quantopere litteratum orbem eruditiſſimis, accuratiſſimisque ſuis ſcriptis illuſtravit, ac ornavit, id equidem omnibus eſt palam. Cuius ſingula ſcripta ſuis hic recenſere titulis atque argumentis, *Deus* bone, quam foret longum? quin & id animo verſabat V. Cl. atque agendo indefeſſus, ut alia adderet: nec dubium quin liberaſſet fidem, niſi aliter placuiſſet illi, in cuius arbitrio res, ac ſpes noſtræ ſunt. Et vel id virtutis fuiſſe eius recte dixeris, quod, ut de aliis bene mereretur, patrocinium veritatis nunquam deſeruerit, nec ipſorum erroribus acceſſerit: ſed ſapientiæ ſuæ bono uſus a ſe utiliter inventa rationibus atque argumentis ſtabilierit. Id inter alia ob meritum excellentis doctrinæ eſt conſecutus hic *Noſter*, ut ſummis reip. patriæ rectoribus atque principibus Sereniſſimæ ſcilicet CHRISTINÆ, Sveciæ, Gothiæque

Reginæ,

Reginæ, *Regum Maximo* CAROLO GVSTAVO; CAROLO XI., qui nunc summæ rerum præest, quem *D. O. M.* reip. patriæ, huic musarum sedi, adeoque nobis omnibus longum servet incolumen, modisque omnibus florentem, fuerit pergratus; quod utique pia, grataque mente agnoviſſe ipsum semper, ignorare non licet. Beneficia priora, quæ multa, & perampla, novo auxit cumulo CAROLVS XI. Rex, & Dominus noster Clementissimus: quando ex commendatione Excellentissimi, Illustrissimique Comitis, ac Domini, Dn. MAGNI GABRIEL DE LA GARDIE S. R. M. Regni, & Academiæ summi *Cancellarii*, litterati autem orbis patroni præcipui, ipsi, & quidem in hac Academia, primo detulit professionem Iuris Nat. & G. honorariam: ut gemina lectione dieb. singulis studiosam iuventutem toto fere decennio oblectarit. Postquam anno 1666. a S. R. M. constitutus erat Assessor in Collegio antiquitatum patriæ, quam plurimum ad eas illustrandas feliciter contulit. Anno 1646. d. 12. Nov. sacrum coniugii fœdus iniit cum REGINA LOCCENIA, casta, verecunda, & incorrupta t. t. virgine, nunc matrona nobilissima, ac præstantissima, Viri Nobilissimi, Consultissimique Dn. IOHANNIS LOCCENII, ICti, Collegii antiquitatum patriæ, olim Præsidis, academiæ Vpsalienſ. Bibliothecarii, atque etiam Regni historiographi, ex priore coniuge, Domina VRSVLA TAM, probatissima femina, ac matrona, filia prima. Sane

quidem

quidem vel in eo per quam felix exstitit hic *Noster* in cœlis nunc beatus, quod eam sibi domum coniugii, eam delegerit coniugem, quæ exempto curis, ac molestiis rei domesticæ chariſſimo marito, otio litterario ipsum penitus relinqueret: in eo felix uterque quod sacri iura connubii totis 30. annis utrinque sancte fuerint servata, filiis 4. totidemque filiabus aucta Schefferorum stirpe, quibus omnibus ea iure optimo imposita sit necessitas, sunt enim ea, per Dei gratiam, ætate, ut quid deceat, fierique conveniat, & contra, recte sciant, ut beatissimi patris insistant vestigiis. Idque ex creberrimo eius monito. Onera academica, ut sunt Rectoratus, Decanatus, Assessoratus utriusque Consistorii libenter suscepit, fideque optima obivit, donec ingravescens senium, ac improspera valetudo iustam præberent excusationem. Quis, quantusque fuerit in communi vita, in domo sua, & extra eam, publice privatimque, omnes, cum quibus tanto tempore consuevit, exquisite novimus. Exemplum scilicet ac regula vitæ morumque suis fuit, aliisque. Summam omnis rei complectar paucis: nihil huic *Nostro* prius, nihil charius fuit, quam quæ publice docuit, privatim sequi atque agere; *honeste* scilicet *vixit*, *neminem læsit*, *suum cuique tribuit*. Quæ sunt præcepta illius iuris, quod est semper æquum, ac iustum. Qua vitæ rectitudine, qua morum amabilitate, doctrinæque excellentia id facile est consecutus, ut cunctis placeret: imo & etiam S. R. M. ita ut a laboribus

Acade-

Academicis ei concederet vacationem anno superiore, delata Successione in locum defuncti Bibliothecarii, *Domini Doctoris* LOCCENII. Quo ille beneficio etiamsi, ut debuit, maximi faceret, uti noluit, & quoad eius fieri per valitudinem potuit, studiosæ iuventuti profuit, donec morbo articulari, atque etiam respirandi difficultate afflictari ipsum, ac laborare liquido constaret. Id vero circa Dominicam, quod dicitur, primam, adventus. Sed convaluit, ita, ut paulo ante festum Nativitatis *Christi*, pie, diligenterque elaboratam orationem de *Christo Deo*, iam homine facto, divinoque redemptionis opere in audit. Gustav. maiore rite pronunciaret. Quam ipse quandoquidem litteris consignare non valuit, filiorum minimo id negotii dedit. Qua re in Academia ex sententia iam confecta, id quidem magna auditorum frequentia, domum rediit, *Deoque* immortali immortales egit gratias, quod sibi licere voluisset Academiæ solenniter valedicere. In quoque ipso festo iterum, atque iterum ita locutus est, ita brevi fore existimavit, ut festum sequens, h. e. Paschale, in cœlis certo acturus esset. Post festum nativitatis Domini S. eius cœna domi suæ ob valetudinem valde imbecillam refici, ac recreari percupiit. Quod utique ex pio eius desiderio est effectum. Circa finem mensis februarii, initium v. Martii gravius ægrotare cœpit, ut morbus coerceri non posset, in corpore iam exhausto, & exucco frustra esset omnis medicina. Quo tamen morbo postea

levatus

levatus ad sveta se vertit studia: frustra licet ob valetudinem valde infirmam, ac improsperam. Ea ipsa nocte quæ præcessit d. 26. Martii iucundo, ut quidem visum, somno, & quiete usus est; sed ipso eius diei mane imbecillior fuit, ac infirmior, quam ut loqui valeret, integris licet reliquis sensibus. Igitur hora ante meridiem XI. diei eiusdem liquit *Noster* SCHEFFERVS quæcunque hic mundus habet, idque animo perlubente, in cœlum receptus, ubi sempiterna in luce versatur. Annos hic peregerat 58. menses fere duos. Debetur id officii tanto Viro, h. e. *Nostro* olim IOANNI SCHEFFERO, ARGENTORATENSI, Viro optimo, Amplissimo Celeberrimoque, ut cum eius demortui corpus solenni funere hora huius diei prima ducendum sit; idque ex ædibus eius in templum Cathedrale, omnes, qui quidem viventem SCHEFFERVM amavimus, omnes a. amavimus, id nostra præsentia cohonestemus: Quot ut libenter præstent, Reverendissimus Amplissimusque Dn. Archiepiscopus, Acad. Procancellarius eminentissimus, Illustrissimi Domini Comites, ac Baaones, Senatorumque Regni filii, ac progenies, Pl. Reverendi Amplissimique Viri omnium facultatum Professores, Nobilissimi, Spectabiles, Clarissimi, ac Præstantissimi Viri ac iuvenes, utriusque reip. Academicæ, ac Vrbicæ dignissimi Cives, perhumaniter, studioseque contendo. Vale. scrip. Vpsaliæ d. 29. Maii Anno Christ. 1679.

(5) RECTOR

(5)

Rector Academiæ Upsal.

MATTHIAS STEVCHIVS

Log. & Met. Prof. Ord.

Ad exequias funeris

Viri dum viveret Consultissimi Celeberrimique, nunc in cælis beati

DN. OLAI Akermans

Juris Prof. Ordinarii

LECTVROS

Publico hoc Programmate officiose invitat.

die d. 28. April. 1678.

SIcut per vitam omnem recti conscientia maximum in adversis est solatium; ita trahentibus jam animam contra mortis vim nihil ea est jucundius. Eam intelligo, quæ testatur nihil esse commissum, cujus memoria morituro aliquid pariat ægritudinis, nec sic judicantem fallit. Nascitur ea nobis integra ex sanctioribus institutis cælestique disciplina, per quam mentis tenebræ abiguntur, & certa gratiæ divinæ fiducia ingeneratur animo. Neque minimum huc confert innoxia, & quantum per humanam imbecillitatem fieri potest, inculpata vita; ubi non aliter ac domum suam jussit Drusus ædificari, animus componitur, non a conspectu liber, nec immunis ab arbitris, sed ut quicquid agitur, ab omnibus perspici possit. Et quia officiorum.

quæ

quæ mortalibus sunt injuncta, est non una ratio, summa ope niti decet, ut scientes & de industria nihil omittamus eorum, quæ â nobis fieri desiderat nostra proximive salus. Privatim non minus quam publice in negotiis fidei curæque nostræ commissis, non diligentiam modo, sed candorem & rectum animum monstrare, studiose conabimur, certi non hujus vitæ modo finiri factorum merita, sed ad longiora & in æternum duratura tempora se porrigere. Inter tot autem mortalium errores proderit diligenti examine, cum adhuc vivimus & valemus, excutere factorum indubiam testem, & in quotidiana discussione examinare vitam. Quod tanto majore cum cura faciendum, quanto circa æstimationem sui factorumque suorum lapsus est longe facillimus. Nihil hic temere spernendum, quod noster corrector affectuum & animæ pædagogus tradit, nec memoria deponenda eorum, quæ aliorum hominum fugiunt notitiam, & Dei summi justitiam lædunt. Cujus nunc animum beant illa, quæ dixi, bona, & his paria longe plurima, eum hominem esse affirmaverim felicissimum, & solatium habere in conscientia sua calamitatum, quod alii nequicquam quærunt amicis, suppellectile copiosa, vel rebus caducis aliis. Rei certissimæ fidem amplio rem conciliare opera fortassis foret supervacua in tanta exemplorum luce, præsertim quæ nobis monstrant sacra elogia, sicut nec desunt eorum nomina, qui inter profanos, quantum per cæcam rationem potuere,

in

in hoc negotio fuere ad imitationem usque celebres. Vel unicus inter eos Chilon Lacedæmonius inter sapientes veterum celeberrimus nos horum pleraque docebit, de quo narrant historiæ, cum mors eum occuparet, audientibus amicis, dicta factaque in ætate sua longa vero iudicio examinasse. Potissima vero eum tenuit cura publicæ in iudiciis actæ vitæ, quam & apud se voluit esse integram, & posteris desiderabilem. Sed opus esse non arbitror exemplis peregre assumptis inter tot domestica. Experti enim hoc tempore non sine gravissimo luctu sumus, a nobis discessisse viros longe desideratissimos, qui rectitudine animi & cura boni publici se fecere ad posteritatem usque inter nostros commendabiles, per quæ etiam mortem adeo non veriti sunt, ut omni eam desiderio expetierint. Inter eos est vir memoriæ nunquam apud nos intermorituræ, propter eruditionem multiplicem, meritaque in hanc Academiam plurima, & bonos, qua licet, omnes, Consultissimus Celeberrimusque Dominus OLAVS AKERMAN, Juris Professor Ordinarius, cuius nunc vitæ brevissimam dabo narrationem, in exemplum mortalitatis nostræ & felicis vitæ. Natus est noster 12. Martii Anni 1629. Patre Reverendo & Doctissimo Dn. IOHANNE OLAI MEDELPADIO, Pastore in Aker & Dahlby: Matre honoratissima suique sexus virtutibus ornatissima Matrona CECILIA CASSIOPÆA. Fuere vero felicitatis initia non pœnitenda pietas parentum, & disciplina pietati conveniens inter

domesticos, adeo ut incertum iudicanti sit, utrum parentibus magis ex præclaræ spei filio, quam illi de optimis genitoribus fuerit exultandum. Quam vero illa profuerint nostro, ad melioris vitæ spem, intelliges ex eo, quod præter officia, quæ recens natis exhiberi iubet christiana fides, concernentia initiationem eorum per Baptismi lavacrum, nostroque mature præstita sunt, indefessa cura eum parentes auxerint foverintque, atque cum ætate crescentis affectum multis modis crescere voluerint. Meruit illud non vulgaris illa, quæ in quibusvis tenerioris ætatis adest, pulchritudo oris, sed rara, & ad bonas literas facta singularis ingenii felicitas. Anno 1637. privatæ præceptoris curæ commendabatur, mittebaturque ad hanc Musarum sedem, paraturus loci religione faciliorem ad illas aditum. Sed inter initia studiorum, communi fere lege a superis dicta, expertus est fortunam minus faventem. Nam eo ipso anno, quo hanc nostram, studiorum gratia adiit, ad cœlestia vocatus est eius parens, itaque matri viduæ visum est rebus suis commodum hunc nostrum paulisper domum vocare; curavit nihilominus, ut ibi vitam ageret sub directione commodi Præceptoris. Exegit inter suos domi annum integrum, quo elapso Upsaliam redux parabat animum ad omnia pietatis & eruditionis subsidia incrementaque. Neque illi fuit difficile in literis pergere: incitabat eum non modo proprius ardor, sed etiam cura inspectoris, diligentia præceptorum & cum commilitonibus honesta

æmula-

æmulatio. Quæ norunt melius, qui cum ipso in Schola huius loci triviali, ut appellare mos est, sunt conversati, in quam noster est receptus Anno 1641. Tot tantisque subsidiis nixus noster, brevi ex pulvere scholæ ad Academica exercitia est provectus. Quod factum accepimus post exactos in schola annos quatuor. Ita se liberius explicuit vis animi, & qui iam bonæ eruditionis fundamenta solida iecerat, maiora feliciſſime sectabatur. Provocavit diligentia iuvenis virum piæ memoriæ, & propter merita multiplicia Reverendiſſimum Dn. M. OLAVM AVRIVILLIVM, ut eius fidei diligentiæque committeret filios suos. Nec fefellit noster de se conceptam spem; itaque annis aliquot, ut pati videbantur res eius, illi muneri diligentiſſime præfuit. Cuius rei testes supersunt adhuc, qui se plurimum nostro debere haut inviti profitentur. Hanc conditionem alia mutavit Anno 1654. quo inter Philosophiæ Candidatos nomen est professus. Sequens in ipsum magisterii titulum contulit. Non potuit iam publice ignota esse viri industria, quæ post rite edita specimina, augeri meruit summo in Philosophia honore. Proinde gratia favoreque virorum Clariſſimorum, nunc stipendio auctus est, nunc spe adeundi terras alio sole calentes. Prolixum foret in hac brevitate temporis, & alienum a præsenti instituto, sequi peregrinantem per Europam pene totam: summa tamen delineare suffecerit capita. Anno 1657. voluntate Domini Commiſſarii LENANDRI HANSSONS

abiit cum filio eius JOHANNE LENANDRO Wismariam, ubi propter bellorum in vicinia motus aliquanto substitit, donec facilior pateret aditus in Germaniæ interiora. Lipsiam itaque quantocius potuit, se contulit cum itineris Comite. Anno 1658. Germaniæ superioris partes perlustravit præcipuas; diutissime autem Argentorati substitit, captus amœnitate loci, & virorum celeberrimorum eruditione ac affabilitate. Cum iam abeundi ad alia animus esset, inopinato accidit, ut anno, qui præcedentem proxime excepit, gratia Illustrissimi Excellentissimique Domini BIORNKLOS, tum S. R. M. Legati ad Comitia Imperialia, & postea Senatoris Regni nostri, nunc in cœlis beatissimi, filio eius unico morum & vitæ Magister præficeretur. Amplissima Nostro occasio nata est proficiendi in omni studiorum genere, maxime autem in cognitione variarum rerum publicarum, & statutorum, ac morum variorum notitia profundiore. Nam quo Illustrissimus Legatus abiit, eo una AEKERMAN itineris comes ibat. Sic annis prope duobus per Germaniam, Galliasque Illustrissimum Legatum multiplici cum fructu comitabatur, & ea brevi discebat, quæ per vitam omnem paucissimi assequuntur. Lutetiæ Parisiorum per biennium noster substitit, postquam ab illo discesserat ante sæpius nominatus Illustrissimus Legatus. Anno itaque 1662. in Italiam auctoritate iussuque Mecœnatis sui profectus est, cum Nobilissimo itineris sui socio, & partes ibi longe pluri-

plurimas perlustravit, quas uberior vitæ historia ab aliis composita nominatim exhibet. Sic Deus illi subministravit commodam occasionem pergendi feliciter in cepto studiorum cursu, ut non modo ob Philosophiæ uberiorem notitiam, sed iurium haud vulgarem, Patronis ac Fautoribus suis innotesceret. Quam summi Numinis providentiam debita cum reverentia perpetuo agnovit, & agnoscere par est eos, quorum usibus se suaque deinceps consecravit. Exactis iam in difficili satis, sed fructuosa tamen, peregrinatione annis plurimis, placuit nostro, & illis a quibus salus nostri pendebat, quod reliquum superesset vitæ, patriæ usibus dicare. Itaque anno 1663. ex Italia Regensburgum proficiscitur; sic tamen iter hoc absolvit, ut in Italia Germaniaque non visas sibi respublicas urbesque summa fide lustraret. Ibi pace Mecœnatis sui, deposita, quam antehac sustinuit provincia in ducendo moderandoque Nobilissimo suo Comite eoque apud S. R. M. Sveciæ Legatos, qui ibi commorabantur, relicto, solus Francofurtum ad Mœnum abiit, & per Rhenum in Bataviam ac deinceps per Westphaliam, & vicinas regiones Hamburgum. Toto iam animo gestiebat noster se suaque Patriæ offerre. Itaque recta per Holsatiam Daniamque terrestri itinere Holmiam petit, quo felicissime An. 1673. salvus incolumisque post multiplices exantlatos labores pervenit. Intelligit qui vel brevem hanc gestorum a Nostro recensionem legit, qua cura fideque studia a prima usque ætate noster

ſter coluerit, quam ipſi rectitudo animi, & propoſitum honeſtioris vitæ curæ cordique fuerit. Quibus operam ſuam dedit noſter, ii invitum a ſe dimiſere, & gratiam quam nulla ambitione meruit, apud Patronos ſuos per omnem vitam retinuit. Aptandum erat Patriæ negotiis præclarum hocce ingenium, atque ut diſcendi erat avidum, ita illi convenientiſſimum videbatur in nobili hac literarum ſede doctrina exemploque iuventutem ducere ad imitationem ſui. Gratia proinde S. R. M. nec minus voluntate aliorum, quibus Academiæ ſalus eſt commiſſa Iuris Profeſſor Ord. eſt creatus Anno 1665. cui muneri quanta cum diligentia per 13. ferme annos præfuerit, loquuntur Auditoria publica privataque, & teſtes diſcipuli numero plurimi, qui ſe amiſiſſe queruntur Præceptorem optimum fideliſſimumque. Anno 1675. 26. Maii in matrimonium duxit maiorum gloria & propriarum virtutum, quæ ſexum illum ornant, fama conſpicuam Matronam CATHARINAM LITHMANN, Reverendiſſimi Stregnenſis Epiſcopi filiam dilectiſſimam, quæ acerbis gemitibus proſequitur Mariti funus; cui, ut & reliquis amplisſimæ familiæ conſortibus, ad quos huius mali ſenſus ſpectat, a Deo Opt. M. precamur efficax ſolatium. Hæc fuit vitæ pars maxima viri in cœlis beatiſſimi, ex qua colligi poterit, quam utilem Academicæ iuventuti virum amiſerimus; addo quam incomparabilem. Nec eſt, credo, quisquam noſtrum, qui in hoc noſtro non aliquid amiſe-

amiserit; alii desiderant collegam fide ac dexteritatis nomine celebrem; alii optimum amicum, alii alio nomine expetunt vivere, quem nunc cita mors abstulit. Infelices sumus qui post tot bonorum funera supersesse debemus, infeliciores si non spes certa foret, brevi ævo describi totam hanc, quæ oculis nostris obversatur, mundi molem, & ad meliora cum pie defunctis esse eundum, quando sic rerum omnium arbitro visum fuerit. Imitemur modo patientiam eorum in ferendis calamitatibus, morbis, morteque ipsa, quorum similes esse volumus in cœlesti gloria. Huic nostro, ut ad illa veniam, mors non placida minus, quam vita fuit. Nam cum circa huius anni initium in mense Ianuario cum compunctione lateris, quam Pleuritidem vocant, conflictaretur, ita eam patienter tulit, ac si eam non sentiret. Sequentis vero mensis Febr. die 4 aliquanto vehementius nostrum cepit morbus ille affligere, qui accessione aliorum etiam morborum auctus, impedivit quo minus libere, ut antea, spiritum posset ducere. Nemini tamen spem aliam fecit, quam non adeo gravi se morbo laborare, quin medicorum ope posset faciliter pristinæ sanitati restitui. Intus tamen & in animo mortem meditatum vel ex eo constat, quod publicas pro salute sua preces implorarit, & discedentium pio affectu, cœlestem animarum cibum desiderarit. 8. Mensis eiusdem res vasaque sua tacitus composuit, & nescientibus suorum plerisque ex hac mortalium sede in beatas cœlestium

habitationes evasit. Vivit anima, vita vere beata apud vitæ suæ auctorem Deum; nobis corpus est relictum, cui honesto more ultima parantur. Quia autem per me indicare voluerunt desiderii sui summam, qui luctui suo levamen, & in pie defunctum officia ultima implorant, nefas esse duxi, non iis exhibere debitum obsequium, quibus felicitatis meæ partem debeo longe maximam, præsertim ubi id fieri usus desiderat. Itaque omnes ac singulos Utriusque Jurisdictionis cives, honoratosque hospites alios, reverenter ac officioſe rogo, ut frequentes adesse dignentur, ac funus hoc hodie h. 1. ex ædibus Reverendissimi ac Ampl. Domini Doct. CAROLI LITMANS Episcopi Stregnensis meritissimi in templum cathedrale deducere. Meruisse hoc iure dixerim beate defunctum & qui præsens iam in funus prodit generi sui, nominatum modo Pl. Rev. Episcopum; postulat hoc etiam commune debitum & mortalitatis nostræ lex omnibus æqua.

)o(

(6)

RECTOR ACADEMIÆ VPSALIENSIS

HENRICVS SCHVTZ

S. Theolog. Licent. & Profess.

nec non

Academ. Vpsal. Bibliothecar.

PATRIBVS CIVIBVSQVE ACADEMICIS

S. D.

QVemadmodum curæ & molestiæ, quæ in hac vita magno onere mortales premunt & fatigant, coniugali convictu nonnunquam leviores redduntur, si præsertim piæ ac sinceræ coalescant mentes, quæ curas ac molestias inter sese amice partiti & placide ferre non detrectant: ita nescio an gravius molestiusque quidquam in hac mortalitate evenire possit, quam ubi interveniente morte separantur animi suaviter cohabitantes. Raro contingit ut uterque coniugum simul valedicat rebus humanis, frequentissime autem mortis sævo impetu ita rumpitur coniugale vinculum, ut alter coniugum in luctu superstes maneat, ex quo fit, ut non modo molestias antea divisas, nunc solus sustinere cogatur, sed etiam ad illas insuper accedant dolor, gemitus ac lachrymæ, vitam & vires fortiter enervantes. De his-

ce iudicare norunt, qui horum utrumque expertĩ sunt; In quibus sine omni dubio est Ornatissima Matrona, MARGARETA ANGERMAN, quæ iam altera vice amarum viduitatis poculum hausrit, svavissimo orbata marito, viro Consultissimo & Amplissimo, Domino IOHANNE GARTMAN, in Upsaliensi Academia Iuris Rom. Professore Celeberrimo. Cuius vitæ compendiosam narrationem tradituri, sequentia de eo memoranda percepimus. Natale solum agnovit Urbem Westrogothiæ Mariæstadium. Tempus nativitatis erat dies sextus mensis Octob. Anni 1624. Parentibus prognatus piis & sua sorte contentis, Patre NICOLAO IOHANNIS, in memorata Vrbe cive & Hortulano Regio industrio: Matre pudica, CATHARINA IONÆ filia. Qui parentes hanc gratissimam prolem divina benedictione concessam, iusto tempore cœlesti hortulano ritu baptismi consecrarunt, debitaque deinde cura diligenter foverunt, donec literarum capax redderetur. Scholam itaque domi frequentare cœpit, in qua ea iecit fundamenta, ut tandem proprio marte literas tractare posset. Sed porro proficere cupiens Anno 1643. Scholam Carlstadiensem visitavit. Cumque & hic felici progrederetur pede, ut ad solidioris eruditionis culmen ascenderet, Upsaliam Anno 1647. d. 17. Septemb. profectus est, comite itineris ascito, ut egregii ingenii, ita præclaræ spei discipulo, nunc Viro Plur. Reverendo, Domino ERLANDO BROMAN, Wermelandensium Superinten-

perintendente longe meritissimo ; quo cum in numerum civium artes liberales colentium receptus, non sibi tantum sed & discipulo ea fide & industria inserviit, ut hic, interiectis aliquot annis, itineri in peregrinas terras suscipiendo maturus evaderet. Quo iam discedente, noster GARTMANNVS Vpsaliæ quidem aliquantisper mansit, sed cum proprios sumptus minime sufficturos instituto intelligeret, Vpsaliam relinquens, honestissimorum parentum liberos in Wesmannia informando, media nonnulla sibi acquisivit, unde liberiori animo studia urgere posset. Upsaliam itaque studiorum gratia revertitur. Offert autem sese hic nova occasio dirigendi studia filiorum Domini MENSCHEVERI, quæ ipsi pollicebatur apud Vpsalienses diuturniorem mansionem. Sic iam erumpit omni nisu in pulcherrima exercitia animus, non uno studiorum genere contentus. Ex hoc enim tempore incumbere cœpit studiis Theologicis, Linguis Orientalibus, nec non Philosophiæ scholasticæ. Quorum omnium eam assecutus est notitiam, ut iuventuti Academicæ, cui se hac ratione innotescere fecit, collegia aperiret. Anno 1653. demandabatur ei filiorum Regii Senatoris, Excellentissimi Domini ERICI GYLLENSTIERNAS, Perillustrium Dominorum, CHRISTOPHORI & CONRADI GYLLENSTIERNORS, vitæ studiorumque moderamen. Quorum usibus ut eo promtius omnibus modis prodesset, summa diligentia, studia humaniora, ut vocamus, Politices & Juris

exco-

excolenda aggressus est. Perspecta iam & satis probata Domini GARTMANNI fides & industria id effecit, ut cum Perillustres eius Discipuli iter extra Patriam meditarentur, fidus hic comes & director ipsis adiungeretur. Iter itaque ingreditur Anno 1659. & primum Helsingburgum appellit, ubi lustratis vicinis locis & observatis iis quæ observatione digna censebantur, navem conscendit in mense Septembri, Angliam aditurus, sed successu minus felici, tempestate namque exorta, navis in Syrtes impulsa, in procelloso mari fluctibus & ventis sævissimis exposita, aliquot dierum spatio substitit, nec ante evadere potuit, quam exciso malo & oneribus eiectis, levata emergeret. Quo facto de novo mari se committit & ad littora Croneburgi appellit. Circa finem Octobris traiecto mari ad Hollandiæ oras feliciter concessit, ubi cum ad initium mensis Augusti Anni 1660. vixisset, hinc in Angliam traiecit, qua post mensem relicta, in Galliam contendit; sed quia tum temporis non pauci gentis nostræ Procerum filii, Argentorati commorabantur, eo quoque Dominus GARTMANNVS cum Perillustribus Discipulis se contulit, postquam in Galliis 2. saltem exegisset menses. Argentorati integrum circiter subsistit annum, deinde ad finem vergente anno seculi huius 61. celebriora ad Rheni ripam loca peragrat, & visa Augusta Vindelicorum, Italiam intrat. Cuius Nobilioribus Academiis & Aulis accurate lustratis exactisque Romæ 16. mensibus, Anno 1664.

Gallias

Gallias revisit, ibique, Nobilissimis Discipulis Patriam repetentibus, 6. vel 7. menses ulterius agit. Tandem ut exactiorem Iuris peritiam sibi acquireret, ad Batavos, inter quos tum maxime eminere videbantur Iuris prudentes, se confert, partim Lugduni, partem Franeckeræ degens. Anno 1677. absolutis feliciter in peregrinis oris 8. annis, tandem in dulcem regreditur Petriam, cumque integrum annum Holmiæ in Perillustris Domini CONRADI GYLLDENSTIERNAS Aula transegisset, ab Illustrissimo tunc temporis Regii Cancellario, nunc Regis Drotzeto, Comite MAGNO GABRIELE DE LA GARDIE, ad Bibliothecariatum in Aula sua suscipiendum evocatur, & quanquam Anno 1668. a S. Reg. Maiest. munus Professorium ad hanc bonarum literarum officinam in Iure obeundum ipsi demandatum erat, mansit tamen certis de causis in modo nominata Illustrissima aula ad annum 1670. Quo ut prædictæ Professionis partes rite obiret, Vpsaliam 19. Mai. se contulit. Nec multo post vitæ consortem sibi legit, nam die 17. Novemb. eiusdem anni matrimonii fœdus contraxit cum Ornatissima Matrona MARGARETA ANGERMAN, ex qua in vero amore coniugali 5. suscepit filios, quorum duo saltem in vivis sunt. De cætero quod ad vitam eius attinet, constat eam inculpatam fuisse. Muneris sui partibus diligenter functus est. Bis Rectorem egit ea moderatione & circumspectione, quam alias quotidie, dum viveret, in communi vita adhibuit. Valetudo autem

tem eius non satis firma fuit, præcipue posterioribus annis, unde anno 1681 mense Mai in ardentissimam febrim incidit, qua cum satis diu magno cum periculo conflictatus est, & quanquam ex ea convaluit, ab eo tamen tempore non exiguum virium suarum sensit decrementum, quibus magis magisque deficientibus, corpus ita languescere cœpit, ut subinde virium recuperandarum causa lectum petere necesse habuerit. Ab exercitiis tamen pietatis tam publicis quam privatis se avocari non passus est. Interea serpsit adeo occulte hic morbus, ut ne ipse quidem sibi imaginaretur tam prope affuturam ultimam horam, quod etiam eo facilius sibi persuaserunt alii, siquidem peracta cœna ultimi diei, mensis septembris, huius anni, mensæ assidens, iocos, pro more, sermonibus adstantium immisceret. Die sequenti fatebatur se non maiorem morbi vim, quam quæ antea eum afflixit, sentire, seque ea nocte requiem percepisse desideratam. De quo eum vehementer lætarentur domestici omnes, circa horam 11. antemeridianam e lecto surgens vestes induit, & non multo post prope lectum considens, capite ad proximum lecti latus inclinato, sine vel minimo strepitu obdormiit, animamque tranquillam tranquille Deo tradidit. Superstites in profundissimo luctu constituti, iusta persoluturi beato marito Parentique longe charissimo, per me officiose & obnixe rogant Reverendissimum Archi Episcopum & Patres ac cives Academicos omnes, ne dedignentur actui

sepul-

sepulchrali hodie hora 1. interesse. Valete.
Upsaliæ. d. 7. Decembris Anno
M DC LXXXIV.

(7)

RECTOR ACADEMIÆ VPSALENSIS

M. PETRVS HOLM

Patribus, Civibus, Hospitibusque
Salutem.

ADeo frequens & vulgata hominum est de vitæ brevitate querela, quam quicumque sapientiores videri voluere, omni tempore insigniter exagitarunt. Horumve causam acturus ante alios Annæus Seneca valde miratur eos, qui rerum Naturam increpant, quasi non satis benigne sese gessisset, nec vitam satis longam tribuisset, cum tamen nemo in ævi exiguum se genitum affirmare queat, si modo illo uti sciat. Itaque & in vanas hominum curas pro dignitate invehitur, & temporum spatia confabulationibus, vitiis, somno, negotiisque alienis aut parum profuturis tributa eis graviter exprobrat, nihilque non agit quo discere queant de spatio vitæ sic statuendum esse, prout sua sibique convenientia quisque negotia tractarit. Satis equidem ille & profunde & magnifice hæc talia; maxime quoniam stricturas istas vix effugimus. Atqui ex adverso, vulgus hominum ubi sibi veri rebus in omnibus inveniendi, errorum omnium ex animo auferendorum,

dorum, inprimis vero domandorum affectuum, ut & beatissimæ perfectissimæque vitæ studium commendari audit, haud immerito Philosophos istos cum de se suisque viribus iusto liberalius sentire, tum etiam aliis plura & maiora imperare iudicat, quam admittit vitæ spatium humanæ. Namque cum vel apud eundem Senecam integra hominis vita *error perpetuus* audiat, iam utique & integro primum seculo errabimus, deinceps ad erroris agnitionem forte opus erit alio, & vicissim ad emendationem alio. Quis autem mihi postmodum percensebit secula reliqua, quibus proficere teneamur, antequam in rebus singulis, quas antea tam sedulo nostris commendari diximus, ad summum pervenerimus? Etiam ubi hominis ævum sexcenties consumserimus, forte a summo, pari quo nunc distabimus intervallo. Certe, nisi valde fallor, Ratio hic vulgus tuetur adversum doctiores istos. Aut sane consultissimum fuerit partis neutrius sententia stare, cum & periculosa sit omnis de viribus suis, deque perfecto vitæ genere persuasio, & item absurdum, ab errandi consuetudine ac facilitate quærere errori patrocinium. Aliorsum, o mortales, consilia cogitationesque vertendæ erunt. Siquidem minutis istis nullus temporum tractus sufficit, iam, quod miremini, ad maiora multo atque nobiliora perficiunda negotia satis habituri eritis temporis, quandocumque volueritis. Date Christo servatori vestro nomina: sacri quoque Numinis præsentiam & adflatum admittite. Nullum erit

tempus,

tempus, nullave temporis pars, quæ vos ab his negotiis excludet: Nullius ævum tam anguſtis terminis arctatum, ut eo hominis officia Chriſtiani expediri nequeant. Quin igitur hæc nunc geritis negotia, quæ ſine temporis accuſatione geri poſſunt, quibusque neglectis omnis vos deſtituet a brevitate temporis excuſatio! Profecto vel ob hanc cauſam unam, magis ad hæc, quam ad illa ſectanda facti natique eſſe videmini. Attamen & ambobus debitam navaſſe operam pulcerrimum ducitur, & nunc ſuccurrit idipſum cum magna laude fructuque ſuo olim præſtitiſſe eum, cuius gratia hæc potiſſimum ſcribere adgreſſi ſumus. Is autem eſt experientiſſimus & ampliſſimus vir, Dn. PETRVS HOFFWENIVS Med. Doctor, & in hoc Athenæo noſtro Profeſſor publicus & ordinarius, de nobis, inprimis vero de hac Academica ſocietate, ut hic alios taceam innumeros, totumque adeo orbem literatum, optime meritus, & eapropter poſt cineres ſuos tanto nobis acerbius deflendus, quanto ille dum viveret, bene de omnibus merendo, ſeſe præbuerat conſpectiorem. Natum eum accepimus in Sudermannia, anno ſalutis reſtauratæ M DC XXX. d. 14. m. Martii, in Arle in pago Axnæs parentibus honoratiſſimis, reverendo viro, Dn. ERICO HOFFWENIO Paſtore Caſtrenſi, & Matrona caſtiſſima EEBA LAVRENTII filia, a quibus Deo rite per initiationem Chriſtianis hominibus receptam & familiarem commendatus, mox etiam ubi paulum adoleviſſet bonarum artium fidis

præceptoribus traditus est. Quorum opera cum in Stregnensi Schola per annos aliquot usus esset, Paterque illius Biœrklingensium Ecclesiæ iam præficiendus veniret, & ipse una huc perrexit, inque ludum literarium Vpsalensem datus est: ubi quidem biennium integrum exegerat, deinceps vero Academicæ societati insertus, tamdiu sub præceptoribus cum privatis tum publicis ipse luctatus est, donec & alios ipse erudire inciperet. In Philosophicis & Philologicis aliquamdiu præcipue hæserat, ad ultimum vero Medicinæ totum sese addixerat. In Facultate philosophica rite examinatus, binas in Medicina disputationes & scripsit, & publice eum laude magna tutatus est. Annum agens octavum & vigesimum ad exteros migravit, bienniumque Lugduni Battavorum consumpsit famam nomenque suum multa industria & dexteritate in istis locis augens, inprimis isto venarum & arteriarum totius humani corporis sceleto, in patria quidem nostra a viro celeberrimi nominis primum invento, ab hoc nostro tamen mirum in modum aucto atque elaborato, terris vero istis in quibus tum versabatur numquam antea viso. Ex Belgio non ante discesserat quam habita Lugduni disputatione inaugurali renunciatus esset Medicinæ Doctor. Postmodum reliquum lustravit Belgium, Galliam, Germaniamque & denique anno M DC LXI. in patriam reversus fit illico in Academia Vpsalensi artis suæ, cum magno utriusque honore & commodo, Professor publicus, eodemque anno matrimonium

init

init cum Virgine lectissima hunc Matronarum ordinis fœmina facile primaria ANNA LENÆA IACOBI Börstellensium Præpositi filia, ex qua liberos in universum octo suscepit, quinque autem nunc sibi superstites habet, filias quatuor, natumve unum, quibus omnibus ut & coniugi mœstissimæ ab ipso consolationis omnis auctore optata precamur solatia. Ipso denique Paschatos die vertentis anni in febrem inciderat valde gravem quicum usque ad diem 23. m. Maii conflictatus, tandem & eam & dolores in universum omnes moriendo superavit, imo, animo semper bene valens, eique rite prospiciens beatorum sedibus sese inseruit. Vos Patres, Cives, Hospitesque, ite huic Nostro frequentia maxima exequias: Ducetur funus e domo defuncti hodie hora 1. in templum Cathedrale. Ite, quæso, & viro de vobis vestrisque omnibus meritissimo iusta persolvite frequentes. Valete. Scrib. Vps. d. 29. m. Junii M DC LXXXII.

(o)

(8)

PROGRAMMA
IN FVNERE
Amplissimi Clarissimique Viri, ac
DOMINI

DOMIN. VNONIS TERSERI

Linguarum Orientalium in alma Vniversitate Vpsalienſi Profeſſoris meritissimi celeberrimique

In Solenni omnium totius incliti Regni Sveciæ ordinum conventu Comitiali Vpsaliæ celebrato

P. P.

a

Rectore Academiæ Vpsalienſis

PETRO AVRIVILLIO

Græc. Litt. Prof. Ord. & S. Theol. Extraord.

HAnc mortalium vitam multis variisque calamitatibus & malis obnoxiam eſſe, iisque indies turbari, infeſtari, imo graviter haud raro adfligi, in ultima hac conclamati propemodum ſeculi ſenecta luculentiori docetur experientia, quam ut vel ipſe Polycrates Samius, cui conſtantior vitæ felicitas auguſtum felicis, dum viveret, impo-

impoſuit nomen, inficiari ſuſtineat. Conſiliis itaque opus eſſe haud minus in confeſſo eſt, certe eſſe debet, quibus mala iſta, ſi quidem prævideri poſſint, vel avertantur, vel evitentur, ſin minus, ſufflaminentur aut mitigentur. Inter eiusmodi autem conſilia, ut haud multum a ſalutaribus Chriſtianæ religionis monitis abludens, ita prudens minimeque vulgare dediſſe mihi videtur Oedipus multa infelicitate apud Poëtas præſertim Tragicos valde celebris, quando apud Sophoclem, divinum, iudice Tullio, Poëtam ita ait, τὴν φροντίδ' ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν, γλυκύ, h. e. vertente Vinſemio; *Senſu carere in malis ſolatium eſt.* Scilicet laborandum eſſe, ut haud multum ſenſu malorum afficiamur, minus doleamus, omnium vero minime commoveamur & turbemur. Immunem enim ſe præſtare penitus ab omni malorum tanto ac tam conferto agmine undiquaque cingentium & urgentium moleſtia nemo noſtrum, quamdiu in hoc mortalitatis luto hæret, poteſt, adeoque nec ſperat, optatve. Cum malis itaque tantum non continue luctandum eſt, animique & corporis vires non ſolum ad ſudorem usque, ſed etiam ad periculoſa ſæpe deliquia, imo mortem denique ipſam exercendæ, labefactandæ, conficiendæ. Interea, quis negaverit ſolatium neutiquam ſpernendum eſſe malorum vacare ſenſu, fortique animum præmunire ἀπαθείᾳ? non Stoica illa & rigidiori quippe ſortem mortalium ſuperante, adeoque in libris potius quam mentibus quorundam ob-

via; nec Epicurea, quippe laxiori & voluptaria, beſtias potius quam homines decente; ſed Peripatetica, & quæ ab hac prope abeſt, Platonica, imo Chriſtiana. Hæc enim modum ponit, ab una quidem parte, titillantibus volupatum ſuavitate ſenſibus, nulloque pacto ipſis ita indulget, ut non iuxta malum aliquod propediem imminere cogitet, & animo quaſi præſentiat ac præmeditetur, absque tamen inutili & ſæpe noxia cura & anxia ſolicitudine: ab altera vero, doloris & impatientiæ impetum placide ſiſtit, atque ſimul ita coercet, ut non tantum præſentia mala moderate ferat, ſed adverſus futura quoque ſe fortiter præparet. Quisquis igitur iſta aſſuevit verius εὐπαθείᾳ quam ἀπαθείᾳ, cum omni ex parte firmo nitatur fundamento, & quocunque fortuna vertat volvatque ſtabili, næ ille τετράγωνος iure optimo haberi & cenſeri meretur, vitamque agere, iſto quidem in rerum humanarum ſtatu, omni alia dulciorem. Quo ſuaviſſimi Poetæ conſilio præter alia erigendus & obfirmandus erat præſenti in luctu animus, haud levi dolore ex obitu deſideratiſſimi amici & collegæ valde inopino vehementer percuſſus. Amiſimus enim nuper & proh dolor! amiſimus ſpem Eccleſiæ & Reipublicæ literariæ magnam, lumenque Academiæ huius ſingulare, Ampliſſimum Clariſſimumque Dominum Dn. VNONEM IOANNIS TERSERVM, Linguarum Orientalium in illuſtri hoc Regio Athenæo Profeſſorem celeberrimum, Fautorem, Amicum & collegam noſtrum multis nominibus

nibus cariſſimum coniunctiſſimumque ; cuius præproperum fatum (ἀθρόπινον λέγομεν) eo cenſemus dolendum impenſius (ſi quidem dolendo quicquam, quod vel nobis vel aliis uſui ſit, efficere poſſemus) quo certior nobis affulſit ſpes, futurum, ut, ſi Deo longiorem concedere placuiſſet, Patriæ honori, Eccleſiæ commodo, Academiæ ſtudioſæque iuventuti emolumento univerſam ſuam conſtanter tranſacturus fuiſſet vitam. Natus fuit Beatus hic noſter Aboæ die XVIII. Decembr. Anno M. DC. XLII. Patre, Reverendiſſimo Viro ac Domino, Dn. IOANNE ELAI TERSERO, S. S. Theol. Doctore longe celeberrimo, hodie Epiſcopo Lincopenſi meritiſſimo graviſſimoque, tunc vero temporis Theologiæ Profeſſore in recens erecta Academiæ Regia Aboenſi: Matre, Matrona omnibus ſexus ſui dotibus conſpicua honeſtiſſimaque ELISABETA VNONIS TROILIA, triduoque poſt, ſcilicet XXI. eiusdem menſis die S. Thomæ, ſacro baptismatis lavacro ablutus. Quo rite & devote peracto, poſtquam biennium in gremio matris optime ſuaviter adoleviſſet, apud avum ſuum maternum Plurimum Reverendum & Clariſſimum Dn. M. VNONEM TROILIVM, Præp. & Paſtorem in Lexan Dalecarlorum proximos infantiæ annos exegit uſque ad octavum, primaque ſtudiorum ſuorum rudimenta feliciter depoſuit. Inde Vpſaliam vocato Reverendiſſimo Parente ad capeſſendam Profeſſionem Theologicam, & ipſe huc translatus, paucis annis eos in

linguarum cumprimis Latinæ, Græcæ & Hebrææ ſtudiis fecit progreſſus, quos vix ullus ab iſta ætate ſperare poſſet, oſtenditque indubie eum ſe omnino, promoventeDivinæ benedictionis aura, futurum, qualem omnes boni cognitum iudicarunt. Quam de ſe nec immerito conceptam a bonis omnibus ſpem tantum abfuit ut minueret, ut inſigniter potius augeret, tantoque ardore cæptum feliciter ſtudiorum ſuorum curſum perſequebatur, ut calcaribus nunquam, fræno ſemper indigere videretur. Vnde mirandum non erat tam ſtrenuo diſcendi proficiendique ſtudio flagrantem, quamvis adhuc ætate iuniorem, maturum evaſiſſe edendis tam publice quam privatim egregiæ eruditionis ingeniique ſelectiſſimi ſpeciminibus, etiam iis, ut alia taceam, quibus ex tenore Conſtitut. Academicarum aditus ad ſummos in Philoſophia honores parari ſolet. Quorum omnium fama facile impulſus Anno 1669. Illuſtriſſimus Regni Senator & Regiæ Cameræ conſiliarius, Dominus LAVRENTIVS KREVTZ B. hunc noſtrum VNONEM TERSERVM filiis ſuis adiungere voluit ſtudiorum & peregrinationis magiſtrum & ducem. Cui muneri haud exiguis moleſtiis obnoxio, adeoque magnam circumſpectionem & induſtriam poſtulanti ea cum dexteritate ſimul ac felicitate præfuit, ut multis argumentis innoteſceret ipſum non tantum maioribus gerendis idoneum, ſed iam tum ſatis maturum eſſe. Poſtquam itaque Perilluſtrium Baronum ſuaviſſimus ſocius præcipua

pua apud exteros loca solicita & prudenti perlustrasset peregrinatione, Academiasque & Vniversitates celebriores in Germania, Italia, finibus Hispaniæ, Gallia, Anglia, Belgio &c. visitasset, ubi magnorum virorum notitiam ac familiaritatem uti modeste quæsivit, ita facile obtinuit, Anno 1672. copiosa instructus eruditionis & experientiæ supellectile rediit in patriam. Quod serius factum fuisset, nisi S. R. M. ex gratiosa commendatione Illustrissimi Comitis ac Domini, Dn. MAGNI GABRIEL De La Gardie Regni & Academiæ Cancellarii Magni, placuisset eum adhuc absentem vacanti Linguarum Orientalium Professioni in hac Academia prudenti sane consilio clementissime destinare; quo cognito, non facile dici potest, quanta cum alacritate studia illa, quibus iam ante inde a puero vehementer delectatus fuerat, in iisque singularem profectum fecerat, urgere perrexit, spartam nactus, quam ipse diu amaverat, desideraverat. Proinde quamprimum patrio fuit restitutus solo, magno cum omnium applausu prædictæ Professioni solenni ritu admovetur, eodem quo rediit anno, studiaque linguarum orientalium per antecessoris diuturnam absentiam graviter collapsa magno conatu, nec minore successu, insigni cum Academiæ honore, admirabili cum studiosæ iuventutis emolumento, editis etiam linguæ sanctæ brevibus & planis Elementis Grammaticis restauravit. Præterito proxime anno, cum ætatis & vitæ conditio suaderet de pia & proba vitæ socia circumspici-

ſpiciendum eſſe, adgubernante Divina Providentia factum eſt, ut ineundi matrimonii voluntatem impetraret a Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Dn. Doctoris LAVRENTII STIGZELII, Regni Sveciæ Archiepiſcopi Eminentiſſimi, huiusque Academiæ Procancellarii ampliſſ. cariſſima filia, omnibus, quæ lectiſſimas virgines inſigniter ornare ſolent, dotibus conſpicua, ELISABETA STIGZELIA; quod ut unanimi magnorum utriusque Parentum conſenſu, ita ſollenni feſtivitate conſummatum hic fuit pridie Calend. Feb. anni currentis. Sed ſuaviſſimo coniugio frui Beato huic noſtro non diu licuit. Ante paucas enim ſeptimanas acuta eum tanto cum impetu corripuit febris, ut non ſolum brevi totum pervaderet corpus, ſed etiam remedia omnia, quæ neutiquam negligebantur, eluderet ſuperaretque, donec exantlatis per integrum octiduum viribus, diutius obluctando nedum ferendo imparem penitus reddidiſſet. Interim Beatus hic noſter res ſuas pie & patienter componere, itineri univerſæ carnis ſe parare, ſacrumque verbi Divini viaticum ſumere minime intermiſit. Neque enim eum pietas, cui deditiſſimus ſemper fuerat, in ſupremo vitæ actu deſeruit, adeoque haud aliter mori potuit, quam vixerat, quod contigit die huius menſis tertio, quo vitam cum morte, ſive potius, ſi recte ut ſentire ita loqui libet, mortem cum vita, vel certe mortalem hanc & ærumnoſam vitam cum æterna illa & longe beatiſſima commutavit. Ipſius itaque ſortem e

pro-

procelloso hoc perditissimi seculi pelago in portum, ex difficili & periculosa pugna ad triumphum translati, non est quod doleamus; Doleamus magis vicem præsentium temporum & secuturæ posteritatis, cui virum ad publicum bonum vero factum tam cito ereptum esse animadvertimus. Vir enim erat vere bonus, vere pius, in congressibus & familiari conversatione sincerus atque suavis, disciplinæ & virtutis tenax, licentiæ & vitiorum hostis, quem diutius vivere ex usu fuisset non modo relictæ mœstissimæ viduæ, quam Deus consolationis spiritu paterne erigat & soletur, sed maxime publico. Verum quia summo rerum arbitro aliter placuit, a cuius nutu sicuti omnes pendemus, ita in voluntate merito acquiescimus. Quandoquidem a. hodiernus dies efferendo funeri, iustisque Beato nostro solvendis est destinatus, omnes & singuli Summæ, imæ, mediocris conditionis hospites omnium ordinum honoratissimi, quotquot solennis huius qui nunc agitur conventus causa hac in urbe commorantur, nec non utriusque societatis, Academicæ & urbicæ Patres civesque, Reverendissimi Domini Patris & Episcopi Lincopensis, sicut & mœstissimæ honestissimæque viduæ nomine, cum debita cuiuscunque dignationis & honoris præfatione submisse, reverenter, & officiose rogantur, ne prædictum funus honoratissimo suo pariter & desideratissimo comitatu ornare, & hora prima pomeridiana ex Templo Trinitatis in Cathedrale deducere dedignentur, officium ut pietate sua,

meritis

meritis magnorum Ecclesiæ luminum Soceri & Parentis, nec non humanitate omnium nostrum dignum, ita longe gratissimum benevole præstituri. Script. VPSALIÆ VI. Calendarum Octob. M. DC. LXXV.

---

(9)

PROGRAMMA

a

Rectore Academiæ Vpsalienſis

ANDREA GRUBB

Ling. Orient. Prof. Ord. & S. S. Th. Extraord.

IN FVNERE

Pl. Reverendi Ampliſſimi Clariſſimique

DOMINI

DOMIN. M. PETRI AVRIVILLII

Græcæ linguæ Prof. Ord. & S. S. Theol. Extraord.

meritiſſimi celeberrimique

Qui pie feliciterque tranſacto vitæ huius curriculo, ætatis ſuæ anno XL. *ex hac miſeriarum valle, in Cæleſtem eſt evocatus patriam,*

Anno M. DC. LXXVII.

Die XXIII. Octobris.

P. P.

ipſo exequiarum die 11. Decembris.

Magnum

MAgnum inter Gentiles Philosophos nomen *Plato*, sapientiæ veræ naturam paucis complexus, hanc *Moriendi meditationem* esse dixit: Duas namque mortes hominis asseruit Sapiens, quarum unam natura, alteram virtutes præstarent. Moritur enim homo, cum anima corpus relinquit, solutum lege naturæ: mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras sapientia magistra contemnit, & cupiditatum dulces insidias, reliquasque omnes exuit passiones. Hanc mortem homini appetendam esse, ut quam, naturæ legibus præstituta mors dulcis sequeretur, ad superna evehendo perfecte purgatos, huiusque corporis custodiis liberatos, ut pluribus docet Macrobius in Somn. Scipionis. Non obscura in his divinæ sapientiæ comparent vestigia, quæ per vitam suam legisse Gentiles non paucos, est quod æterna olim ignominia confundet Christianam quidem sapientiam profitentes, sed brutorum instar in ventris curam proiectos, carnisque cupiditatibus turpiter deditos. Sed vestigia hæc fuere, multis humanæ mentis tricis atque tenebris obsita obrutaque, quibus qui se extricarent, verumque post mortem naturalem, vitæ portum attingerent, non invenerunt, in devia abruptaque suis cum ratiocinationibus delapsi. Quo magis nobis æstimanda venit, intemerata illa divinæ veritatis lux; quæ sicut *meditatione mortis*, veram sapientiam absolvi, ita quæ sit, & in quibus consistat, sola solide docet. Multa vero quæ hanc doctrinam

nam spectant, cum in scriptis Θεοπνεύστων occurrant, eminet tamen in his, quod *Moses* antiquissimus Prophetarum, & a quo non pauca mutuatus est Plato *Moses Atticus* ideo Numenio dictus, in precatione sua, quæ inter Cantica Davidis 90. constituit Psalmum, nobis reliquit. De vitæ enim nostræ brevitate, miseria, inconstantia, sensuque iræ divinæ a peccatis profecto, multis conquestus sapientiæ Magister, tandem in hæc verba spiritu plenus erumpit, *ita nos instrue, ut supputemus dies nostros: & inducemus animum sapientiæ.* O carmen aureum, aurea verba, omnem Pythagoricam sapientiam quæ infinitis modis superant. Hæc namque recte vivendi moriendique artem nobis præscribunt, hæc sapientiam vere divinam, & in æternum profuturam nobis exhibent, absque qua si sit vita nostra, meræ sunt tenebræ, quamcunque iactitamus sapientiæ lucem. Quæ hæc, quæris, sapientia? respondet Moses; esse eam sapientiam veram, quæ nos Deo Magistro, docet supputare dies nostros. Docuit idem sapiens ille Solon, ab opulentissimo Lydorum Rege, de vera sapientia interrogatus atque beatitudine, Mosen haud dubie imitatus, sed qui calculo dierum vitæ mortalis subducto, inde quod inferet, non habuit aliud quam quod *omnis homo mera* esset *calamitas.* Non sic Moses, ut qui hanc dierum supputationem seu considerationem brevitatis vitæ nostræ, ita nobis commendat, ut inde discamus, singulos dies, horas atque momenta vitæ nostræ, ritę ordinarę, rectequę collocare,

locare, ne in tanta temporis brevitate, quidquam eius perdamus, vel nihil, vel aliena, vel mala agendo, sed officia nostra Deo hominibusque debita, modo atque tempore convenienti distribuere sciamus, rebus ad vitam præsentem pertinentibus, ita suum tempus assignando, ut meliorem eius partem, Deo atque saluti animarum nostrarum demus, nec peccati somno id, ut fit, transigamus. Hoc modo qui numerat dies suos, vitæque quamvis breve spatium, ordinat & disponit, næ is vere est sapiens, adeoque in vita & morte felix, post mortem in cælis æternum beatus. Suo exemplo nobis dictorum fidem facit, qui tristi casu, publicas inter privatasque lachrymas, nobis eheu, subita morte est ereptus. Collega & amicus fidelissimus, Doctor & Præceptor facillimus, felicissimus, Maritus atque Pater desideratissimus, singulare Academiæ nostræ decus, Pl. Reverendus, Amplissimus & Clarissimus Dominus Magister PETRVS AVRIVILLIVS, Græcæ linguæ Professor Ordinarius & S. Theologiæ Extraordinarius, fautor, amicus & collega noster, dum vixit, Charissimus honoratissimusque. Quem Deus, ad pia vota, singulari gratia docuerat dies suos numerare, eosdem apte disponere partirique decenter, ne quid eius periret, divina pariter & humana instructum imbutumque: Quem proinde nunc, non ut Plato, & qui cum illo faciunt, propriis virtutibus, quas tamen ut in hac infirmitate, sincere coluit, exercuit constanter, sed sanguine IESV CHRISTI per fidem

dem *perfecte purgatum* huiusque corporis mortalis exuviis liberatum, mors dulcis ad superna tabernacula evexit, cælitibusque æterno consortio coniunxit. *Sit memoria eius in benedictione!* De cuius vita pauca, quod moris est, narrabimus. Natus est Beatus noster anno huius seculi Trigesimo septimo, die 23. Martii, Patre pl. Reverendo Clarissimoque Domino Magist. OLAO AVRIVILLIO, Pastore tunc temporis in Knuutby & Faringe vigilantissimo: Matre laudatissima sui sexus dotibus maxime conspicua Matrona, BARBARA PETRI filia Cassiopæa, filii Charissimi fatis, maximo cum dolore, quem mitiget Deus! superstite. Horum solicita cura, Sacro Baptismatis lavacro tinctus, Christo ceu veræ viti palmes genuinus est insertus. Lucente mox in tenera ætate ingenio ad literas nato factoque, privati Præceptoris curæ commendatur, sub quo elementa literarum prima, religionisque Christianæ capita summa feliciter hausit. Parente deinde optimo ad Scholæ Trivialis quæ hic Vpsaliæ est, rectoratum vocato, in eadem, paterna sub directione pulchre profecit. Anno 1648. Gevaliam cum patre Reverendo eiusdem Pastoratui ac Præposituræ admoto profectus, eius Scholæ nobile membrum factus Noster, Rectore Reverendo & Clarissimo Mag. IONA TRAST, Conrectore Reverendo Mag. SIMONE KRVTENIO, in qua felix ingenium Magistrorum præcepta tam avide tantaque cum celeritate rapuit, ut vix biennio exacto, Parentis optimi, eruditionis

ditionis atque prudentiæ laude clarissimi judicio, Academicis exercitiis maturus censeretur. Itaque A. 1650. ad hoc nostrum Athenæum puer adhuc accessit, sed qui felicitate ingenii, raraque in hac ætate diligentia, juveniles est supergressus annos. Quo factum, ut brevi insignes fecerit profectus, quorum specimina alia post alia publice atque privatim dabat feliciter, urgebatque constanter. In Græcis vero quantum valeret, oratione non solum sed & disputatione publica atque solenni, Græca lingua a se conscripta habitaque manifestum fecit. His ingenii animique dotibus clarus, A. 1661. aditum sibi ad summos in Philosophia honores, debitis exercitiis feliciter paravit. Jactis hoc modo solidioris doctrinæ fundamentis, jamque divina humanaque domi probe instructus sapientia, exteræ quid ferrent terræ, pro eadem augenda periculum facturus, peregrinationem prudenti consilio suscepit. Iter itaque ad exteros ingressus An. 1663. in Julio, Scholas & Academias in Germania prope omnes perlustravit, in Belgio Lugdunensem & Ultrajectinam, ubi magnorum in Theologia non solum, sed & Philosophia virorum familiaritate, caute prudenterque usus, eorum docta colloquia in suos commode usus convertit. Annum & quod excurrit peregrinationi felici cum insumsisset, copiosa eruditionis & experientiæ suppellectile auctus, in patriam A. 1564. felix redit. Circa cujus anni finem 13. Decembris, Laurea philosophica est ornatus; inde messis ad maturitatem spectantis dulces fructus collecturus. Nam sub initium anni se-

quentis, magno cum facultatis Theologicæ consensu, ejusdem Adjunctus legitime constitutus est, non absque insigni juventutis Academicæ commodo. Eodem anno ordini Sacro initiatur. Anno 1667. felici connubio sibi, Deo propitio, junxit lectissimam Virginem, MARGARETHAM BLIX, honestissimorum parentum filiam, sui sexus virtutibus ornatissimam. Qua cum illi dulce fuit conjugium, ad ultimum vitæ terminum, trium filiorum, totidemque filiarum progenie lætum. Quorum duo cum una sexus fœminei, Patrem, in cœlestia gaudia translati, antevertere: Filii superstites duo cum filiola, matri mœstissimæ eo altiores excitant gemitus, crebrioresque eliciunt lacrymas, quo per ætatem minus sentiunt, funere parentis in se redundantia mala. Pater ille misericordiarum & omnis consolationis Deus, doloris gravitatem leniat, fauciataque sanet viscera! Anno 1669. in Septembri, Logices & Metaphysices Professor Ordinarius factus est Noster. Cui per quinquennium quanta fide quantaque diligentia præfuerit, testantur publica scripta, loquuntur viva plerorumque testimonia. Anno 1674. Græcæ linguæ ordinariam professionem, ad Mandatum Sacræ Regiæ Majestatis suscepit, eidem mox adjecta S. Theologiæ extraordinaria. Quibus ad finem usque vitæ pari diligentia atque fide, singulari cum discentium commodo præfuit. Rectoratus munere functus est anno 1675. quem præter alia maxime illustrem fecit, Regis nostri Clementissimi Coronatio, anno 1676. commissione ut

vocant,

vocant, Regia hic Upsaliæ ad inquisitionem criminis magiæ per Uplandiam instituta, inter alios & hic Noster, ejusdem Assessor ab Illustrissimo Senatorum regni ordine constitutus est, in quo munere arduo ac difficili, quanta assiduitate dexteritateque sit usus, omnibus quibus hæc cura commissa fuit, notum est atque perspectum. Inter has officiorum curas, quæ quotidie incubuere, totumque possidere visæ sunt, quam non a pietatis exercitiis se abtrahi passus sit, loquuntur templa, testantur sacri conventus, quibus devotissimas inter preces, nunquam non interfuit, suo cum Deo loquutus. Sic vita fuit Beati Nostri! Quam mors insperata quidem, humano loquor more, beata tamen non potuit non sequi. Nam anni currentis die 18. Octobris circa Vesperam, levior ut videbatur, ægritudo corporis eum occupavit, sed quæ proxima inde nocte cum calore intensiore viribus auctis, cum totum corpus celeriter pervaderet, caput præsertim, tantaque vi adoriretur, ut omnia remedia irrita faceret eluderetque, Mortis horam præsentiens Noster, cælesti se accinxit itineri. Vocato itaque ad se verbi Divini Ministro, die 22. Octobris Sacro epulo, animam cælestia sitientem refecit, quo instructus viatico, inter acutissimos capitis, totius adeoque corporis dolores, quibus jam fractæ exantlatæque vires frustra obluctabantur, diei 23. Octob. hora 2. matutina, viam ingressus omnis carnis, inter alta suspiria, animam Deo commendans, placide in Domino obdormiit. Corpori vero cum hodie

funus paret mœstissima conjux, tumuloque suo sit inferendum, Vos, Patres Civesque Utriusque Societatis, pro cujusque dignitate atque honore, reverenter & officiose rogatos volo, Beati Nostri reliquiis Sanctis hodie hora 1. ex ædibus suis in templum Cathedrale, justa exequias ire, funusque pie defuncti, frequentia vestra ornare ne gravemini. Cujus vos officii, ut mortalitatis conditio admonet, ita pietas vestra bonitasque præclaraque Beati Nostri merita, ut faciles præstetis, facient spero. Upsaliæ die 9. Decemb. Anno 1677.

Num. X.

RECTOR ACADEMIÆ UPSALIENSIS
CLAUDIUS ARRHENIUS,
Historiographus Regni & Histor. Profess. Ordin.

PATRIBUS CIVIBUSQUE ACADEMICIS
S. & O.

FUnus hodie indicimus, Viri, dum vixit, ortu, studiis, peregrinationibus, laboribus, muneribus honoribusque literariis Clarissimi, Dn. OLAVI VERELII: De quo pauca dicere pro more constituimus, rogati, vitæ ejus præcipua carptim perstringere magis quam narrare. Natus fuit hic noster anno Salutis humanæ 1618. die 12. mens. Febr. in prædio dicto Ragnilditorp, in Yderensi territorio, Lincopiensis diœcesios, patre Viro Reverendo Dn. NICOLAO, ultra annos 30. Pastore Ecclesiæ Dei in Ingantorp, Matre BOTILDA, fœminarum suæ sortis honestissima. Pueritiæ primæque adolescentiæ annos quibus studiis sub cura parentum exegerit, ipsum fuse commemorasse memini, in scripto, quo sub Cosmopolitanæ peregrinationis ludicro, Satyrarum more, acerba censura vexat Mundi hujus Histrioniam, quod inter plura ejus adhuc latet ineditum. Anno 1630. qui ætatis ejus quartusdecimus, post eximios sub domestico minime inepto præceptore progressus in bonis literis, ad Lincopiensem mittitur Scholam, ubi transacto haud socorditer triennio, secutus institutorem Emundum Lynæum, Livoniam adiit, Dorpati solemni ritu adscriptus numero Academicorum civium.

vium. Illic gnaviter urgens quæ cæperat, post annum quartum, qui seculi erat trigesimus octavus, petiit Upsaliam, mira tum CHRISTINÆ bonitate, docentiumque celebritate, caput efferentem supra cæteras. Illic fama eruditionis mox notior, præficitur studiis Nicolai, Johannis & Matthiæ Fratrum, ex illustri Kaggiorum prosapia. A. 1644. studiorum moderator datur Baronibus ab Oxenstiern, AXELIO & JACOBO Spensiis fratribus. A. 1648. Ephorus & dux itineris additus est peregre ituris AXELIO Posse & JACOBO Spensio, Juvenibus natalium claritudine præcipuis. His comitibus per Daniam & Holsatiam invisit Monasterium Vestphaliæ, quo tempore pace illic finiebatur bellum Sueco-Germanicum. Inde unitorum inferioris Germaniæ Ordinum perspecta Republica, ob insignem eruditionem docentium, aliquamdiu Lugduni Batavorum substitit. Hinc adverso Rheno tendens, & ad utramque ejus ripam posita summæ celebritatis loca lustrans, per Helvetiam & Alpes Italiam, Italiæque caput Romam, cæterasque illic clari nominis urbes adiit, aliaque via per Insubres Galliam, Galliæque ocellum Lutetiam visens, per annum illic commoratus est. Postmodum, stipatus iisdem Comitibus, per inferiora Germaniæ, reliquaque Belgii, quæ ante non viderat; item per Bremam, Hamburgum, Lubecam, nobilissima ad utrumque Oceanum Germaniæ emporia, in quorum postremo, pro pace firmanda conventus tum agitabatur Legatorum Sveciæ ac Poloniæ, nec non per Balten nostrum mense Augusto A. 1651. ampla auctus doctrinæ

ctrinæ experientiæque merce revertit in patriam. Redeunti mox apud CHRISTINAM Reginam, Professorum Upsalienſium quidam, quibus ſpectata viri virtus & eruditio, locum parabant gratiæ, qua haud difficulter impetrata, ſequenti mox anno d. 19. Octobr. Regio diplomate, in Dorpatenſi florente tum Academia Profeſſor Eloquentiæ conſtituitur: Quem honorem, ob cauſas minime obſcuras, mox benignitas Reginæ ſequenti anno d. 30. menſ. Julii, mutavit Quæſturæ Upſalienſis munere, quo in alterum ante mortem annum perfunctus eſt. A. 1658. matrimonio ſibi junxit celebrati apud nos nominis matronam ANNAMERICI Filiam, plurimum Rev. Clariſſimique hic quondam Profeſſoris ISACHI ISTMÆNII relictam viduam, ex qua, ante annos jam aliquot præmortua nullam ſobolem ſuſceperat. A. 1662. d. 30. m. Maji, Antiquitatum Patriæ Prof. Publ. renunciatus eſt. Ann. 1666. d. 21. Nov. conſtitutus eſt Regni Antiquarius, & mox anno eodem d. 17. Dec. in Regio Collegio Patriæ Antiquitatum Adſeſſor. Tandem, reſignaturus Quæſturam, d. 29 Apr. A. 1679. Regiis literis Academiæ hujus ſit Bibliothecarius, quod munus Sereniſſimorum Regum Clementia, diu bene meritis Profeſſoribus, poſt labores Herculeos, velut ſenii requiem & curarum portum, conſtituerat. Literatis his honoribus qua perfunctus ſit diligentia, loquuntur ſcripta viri partim juris publici facta, partim adhuc inedita; qua etiam integritate ac fide, loquitur noſtrum cujuslibet conſcientia. Poſtrema viri quod attinet, laboribus curisque at-

tenuatum corpus, quinto ante mortem menſe, maligna febris, quarto quoque recurrens die, invaſit, quæ, licet aliquando viſa remiſſior, tandem tamen ita vires attrivit, ut feſto Natalis JESU CHRISTI die denaſci ſenſim ſe agnoverit. Itaque die Johanni Evangeliſtæ Sacra, ad migrandum ſacro ſe corporis ac ſanguinis Dominici viatico inſtruens, compoſitis obiter rebus domeſticis, cætera linquens fidei amicorum, quos conditi antea Teſtamenti executores fecerat, abjecta cura ſeculi præſentis, venturi unice cepit deſiderium, circa meridiem lucis tertiæ annum hunc auſpicantis menſis Januarii, placide obdormiens, relictis terrenis, petiit cœleſtia, poſtquam rebus mortalium interfuerat, demptis diebus 39. annos 64. uno ſupergreſſus magnum climactericum. Corporis exuvias, ex ædibus ejus elatas, condi decreverunt conſanguinei amicique, cras hora poſt meridiem I. in monumento ſaxeo, quod extra urbem in cæmiterio Domus pauperum, ipſe ſibi vivus fecit exſtrui; quas, ut frequenti comitatu eo perducatis, PATRES CIVESQUE Academici, & qui ad celebrandas hic anniverſarias nundinas adeſtis domeſtici urbis cives ac advenæ, per egregia Clariſſimi Viri merita, per humanitatem veſtram, per recordationem communis conditionis mortalium, peramanter & officioſe rogamini. Valete. P. P. Upſaliæ ad d. 8. Februarii, Anno Redempti Orbis

MDCLXXXII.

Nr. 1633.
S
8r
ULB Halle
3
005 214 467

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-137946120-19/fragment/page=0339

MEMORIA
VIRORUM IN SUECIA ERUDITISSIMORUM
REDIVIVA,
Seu
Semi-Decas IV.

ORA
FU

I. *In Memori*
BENZ
Archi-Epi
II. - - - B. M
BRUN
Profess. Th
V. *In obit*

Cum adjecta

Pr
CHRIS

Apud JO.